Bodleian Collection

19.

Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM PHILOLOGICAM

QVA

LVMINA SYRIACA

PRO ILLVSTRANDO

EBRAISMO SACRO

EXHIBENTVR,

PRAESIDE

D. CHRISTIANO BENEDICTO MICHAELIS,

THEOLOGIAE ET LINGVARVM GRAECAE AC ORIENTALIVM PROFESSORE ORDINARIO,

D. XXIX. SEPTEMBRIS MDCCLVI.

EX CATHEDRA PVBLICA DEFENDET

GOTTHILF EPHRAIM HENTSCHEL,

SCHLICHTINGSHEIMIENSIS POLONVS,

S. S. TH. CVLTOR.

HALAE MAGDEBVRGICAE

TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI

(6½)

4324
H52A

LVMINA SYRIACA
PRO
ILLVSTRANDO EBRAISMO SACRO.

S V M M A R I A.

Linguae, Chaldaica, Syriaca, Samaritica, Arabica, Aethiopica, Ebraeae adfines ſunt §. I.

Indeque Ebraeae paſſim adfundunt lucem §. II.

Praeſens tractatio eo comparata, vt Ebraea lingua ex Syriaca illuſtretur ratione tum orthographiae tum etymologiae, et tamen huius nonniſi generalioris §. III.

Orthographicae tractationis partes quatuor, conſonantes, vocales, notae diacriticae, tonus §. IV.

Ex conſonantibus huc maxime ſpectant quieſcentes dictae, Aleph, Vau, Iod §. V.

Aleph Ebraeis aliquando vt Iod lectum §. VI.

Aleph cum Vau, Vau cum Aleph commutatum, per merum antiſtoechum, eodem vocum, licet diuerſimode ſcriptarum, manente ſignificatu §. VII.

Iod initiale cum ſubſtrato Schua vel Chirek Ebraeis aliquando vt Aleph pronunciatum §. VIII.

Aleph in medio vocis poſt Schua quieſcit, vocali ſua ad praecedentem litteram remiſſa §. IX.

Aliquando et otiatur, penituſue excidit §. X.

Idem Aleph vocali vacuum poſt Schua, itemque Iod ac Sin, poſt vocalem otiantur aliquando §. XI.

Iod initiale vocum, vocali Chirek notatum, poſt Schua Praefixo-

rum otiatur, remiſſa ad haec vocali ſua §. XII.

Ratio probabilis, cur in Suffixo verbali כִּי *Patach pro Kamets ſit, ex Syriſmo reddita* §. XIII.

Puncta diacritica cum punctis vocalibus, aut illorum alia cum aliis, vbi geminari debuerant, per compendium coniuncta, nonniſi ſemel ponuntur §. XIV.

Dageſch, Thau mediano vocis שְׁתַּיִם *impreſſum, quale, et vnde ſit* §. XV.

Aleph initiale in Verborum Futuris ac Imperatiuis, et in quibusdam Nominibus, pro Schua compoſito habet Tſere §. XVI.

Tonus vocum num ſit in antepenultima ſyllaba? §. XVII.

Tonus ante Suffixum nominale 1. perſ. י. *anomalice in penult. ſyllaba ſuſpenſus* §. XVIII.

Etymologicae tractationis ordo ſecundum partes orationis, Verba, Nomina, Particulas §. XIX.

Ratione Speciei Verba quadrilittera cum Nominibus inde deductis, ſunt deriuatiua, cuius deriuationis modus oſtenditur §. XX.

Verba irregularia formas ſuas interdum permutant eodem aut cognato ſignificatu: et contra, diverſam pro diuerſo ſignificatu ſubeunt flexionem et formam §. XXI.

Coniugationum prima Kal, habens ſub media radicis Tſere, capitur intranſitiue et quaſi pasſiue §. XXII.

Altera Niphal aliquando pasſiua ex Hiphil format §. XXIII.

Verba neutra interdum pro pasſiuis §. XXIV.

Contra, pasſiua aliquando pro actiuis §. XXV.

Inprimis Niphal actiue capitur in notandis animi corporisue pasſionibus, aut vbi agitur ex aliorum ope, permisſione et iusſu §. XXVI.

Verba pasſiua pro actiuis reciprocis §. XXVII.

Eadem ſignificant actiones mutuas §. XXIIX.

Flexio Verborum aliquando ſyriſſans §. XXIX.

Nominum formae poſt Kamets ſub 1. rad. et (ſi propria ſint) ſub prima littera quacunque, implicantes Aleph quieſcens §. XXX.

Aliae ſub media radicis poſt Schua habentes Kamets impurum §. XXXI.

Aliae per הָ *vel* הֶ *explicite auctae in fine, vel per analogiam pro talibus concipiendae* §. XXXII.

Aliae in fine per Nun auctae ſignificationis intenſiuae; illarum terminatae per ןַ *vitii expertes; auctae per adformatiuas ſyllabas*

תָן

תָן *vel* תוֹן *non compoſitae, ſed ſimplices* §. XXXIII.

Aliae Nominum actiuorum verbalium, ex Infinitiuis Piel, Hiphil et Hithpael deductorum, cum Kamets penultimo impuro §. XXXIV.

Ratione motionis Nomina quaedam per ןָ *vel* ןַ *aucta in fine, feminina ſua formant adiecto in Singulari* יִת *et in Plur.* יּוֹת.

Alia vero feminina per א *loco* ה *terminant* §. XXXV.

Ratione Numeri ſunt maſculina, quae in Plurali vt feminina, et feminina, quae in Plurali vt maſculina terminantur §. XXXVI.

Particularum ſeparatarum aliquae habent formam ſtatus conſtructi Nominum: inſeparabiles adfixae כֵי *et* יְכֵי *pro* ךָ *et* יִךְ, יִ *pro* יַ, ךְ *pro* יךְ, ךָ *extra pauſam pro* ךְ §. XXXVII.

§. I.

Linguae Orientales, Chaldaica, Syriaca, Samaritica, Arabica, Aethiopica, et, qua Talmudicum corpus conſignatum eſt, Rabbinica, cum Ebraica, qua ſacri ſcriptores V. T. vſi ſunt, talem fere cognationem habent, qualem vernacula noſtra ſiue cum antiquis, Gothica, Anglo-Saxonica, Francicaque, ſiue cum hodiernis Belgica, Anglica, ac borealibus, Danica, Norwagica, Islandica, Suecica. In propatulo res eſt, et experientia conſtat apud omnes, qui vel extremis, quod aiunt, labris illarum linguarum ſtudia deguſtarunt: et vero, ſi cui forte adhuc dubia eſſet, eum ad EDM. CASTELLI *Lexicon Heptaglotton*, vbi linguarum illarum voces omnes, ordine alphabetico ſub ſingulis radicibus digeſtae, explicantur, quodque Londini anno CIↃIↃCLXIX. in folio maiori prodiit, amandamus.

§. II.

Quemadmodum autem vernacula noſtra ex modo dictis adfinibus linguis, ob communes cum illis origines, per clariſſimos aeui noſtri Philologos, ac nominatim per Celeberr. IO. GEORG. WACH-

WACHTERVM in praeſtantisſimo *Gloſſario Germanico*, et IO. LEONH. FRISCHIVM im *Teutſch-Lateiniſchen Woerterbuch*, egregiam accepit lucem; ſic dubitari nequit, quin et Ebraea lingua ex adfinibus ſibi, quas memorauimus, Orientis dialectis lucem non minus proficuam capere posſit. Cuius rei tum necesſitatem tum vſum ex Iudaeis vidit DAV. KIMCHIVS, praefatione in *Librum radicum* ſcribens: *Si qua vox in Scriptura ſacra ſemel tantum exſtet, eius declarationem adfero ex Miſchna aut ex Gemara, ex Graeca lingua aut Arabica,* (addi vero debuisſet Chaldaica inprimis atque Syriaca:) *quia iſtae omnes iuuant ad intelligentiam ſermonis Ebraici. Hic enim antiquisſimus quidem et perfectus eſt; ſed notitia eius apud nos, ob diuturnitatem exilii noſtri, valde decreuit. Et ſic de magiſtris noſtris b. m. compertum habemus*, שהיו לומדים לשון מלשון, *eos linguam* Ebraicam *didiciſſe ex linguis* aliis. Ex Chriſtianis vero SAM. BOCHARTVS, EDVARD. POCOKIVS, ALB. SCHVLTENSIVS, aliique praeſtantisſimi viri, fructum ex harmonia adfinium Orientis linguarum in Ebraiſmum redundantem, quem IAC. GVSSETIVS praefat in *Comment. linguae Ebr. p. 6. ſeq.* temere in dubium vocauit, copioſe oſtenderunt.

§. III.

In praeſenti animus nobis eſt, ſacri Codicis Ebraiſmum ex Syriaca lingua, quae poſt Chaldaicam, quacum commune nomen *Aramaeae* gerit, vnamque ſuo modo linguam conſtituit, quam proxime abeſt, illuſtrare. Quod dum agimus, eo quidem ordine, qui philologico ſiue grammatico argumento apprime conuenit, incedere posſemus; vt primo ex *orthographia*, deinde ex *etymologia*, tum vero ex *ſyntaxi* Syrorum, lucidiorem Ebraiſmum efficeremus: cum tamen ſic nimis ampla futura eſſet ſcriptio noſtra, in praeſenti prioribus tantum partibus, hoc eſt, *orthographicae* et *etymologicae*, et huic non niſi generaliori, nos adſtringemus, ſpe ducti, fore, vt haec opella noſtra nec infructuoſa nec ſuperuacua ſit futura. Quamuis enim hac in re iam praeiuerit nobis Celeberr. ALBERT. SCHVLTENSIVS in *Inſtitutt. ad fundamenta linguae Ebr.* Lugd. B. a. CIƆIƆCCXXXVII. in forma quarta emisſis, vbi Sect. XII. p. 464—499. rariores Ebraeae linguae

guae formationes ex Aramaea dialecto illuſtrauit; tamen id ita fecit, vt ſpicilegium reliquerit nobis, nec verendum ſit, vt eum exſcripſisſe videamur, dummodo noſtra cum illius hanc in rem dictis conferantur.

§. IV.

Quod igitur ad ORTHOGRAPHIAM, diſpiciendum nobis erit de quatuor momentis ſcriptionis et lectionis, hoc eſt, 1. de *Conſonantibus*, 2. de *Vocalibus*, 3. de *Notis diacriticis*, 4. de *Tono*, ex Syriſmo illuſtrandis.

§. V.

Ex CONSONANTIBVS in cenſum heic maxime veniunt tres ſic dictae *Quieſcentes*, א, ו et י, (nam ה apud Syros non minus, quam apud Arabes et Aethiopes, a quieſcentium claſse abeſt:) de quarum tum lectione, tum quiete et otio, aliqua hic adferemus, quae lucem Ebraiſmo ex Syriſmo dabunt.

§. VI.

De prima igitur harum litterarum, *Aleph*, obſeruamus, eam ab Ebraeis vt alias, ita in medio formarum participialium primae Coniugationis Praeſentis Temporis aliquando vt *Iod* lectum fuiſse videri. Nam quod 1 Sam. XXII, 18. 22. ter in Cthib eſt דויג *Dojêg* per *Iod*, id in Keri eſt דואג *Doëg* per *Aleph*. Et poſterior quidem ſcriptio conuenit etymologiae, ſecundum quam proprium illud Doëgi nomen a דאג *ſolicitum eſſe* deſcendit; poſterior vero lectioni τῦ *Aleph* in *Iod* degeneranti, qualis apud Syros frequens. Nam hi non ſolum radicis mediam *Olaph* in Coniugationibus Pael et Ethpaal in *Iud* mutant, vt quum ex Ebr. שאן vel שאנן *tranquillum eſſe*, dicunt ܫܝܢ *tranquillare*, et ܐܫܬܝܢ *tranquillari*, et ex ܛܐܒ *bonum eſſe*, ܛܝܒ *aptare*, et ܐܬܛܝܒ *aptari*; plane vt et Ebraei pro קאו *vomite* קיו ſcripſerunt Ier. 25, 27. verum etiam in Participio Praeſenti, ſaltem Verborum mediae

Vau, idem *Olaph* vt *Iud* legunt, vt ܩܳܝܶܡ *kojêm* pro *koëm*, et ſecundum aliquos etiam ܐܳܝܶܠ *ojêl* pro *oël*, ܫܳܝܶܠ *ſchojêl* pro *ſchoël:* de hoc videatur Praeſidis Syriaſmus p. 8. de illa vero p. 57. Eodem referri poteſt, quod Syri ex שְׁאוֹל fecerunt ܫܝܘܠ *infernus*, ex רֹאשׁ ܪܺܫܐ *caput;* et quod Ebraei τὸ א aliquando per Dageſch geminant, v. g. in רֻאּוּ Iob. XXXIII, 21. וַיָּבִיאּוּ Gen. XLIII, 26. Eſdr. VIII, 18. וַתָּבִיאּוּ Leu. XXIII, 17. quod fieri vix poſſet, niſi et in his exemplis א vt י legeretur.

§. VII.

Sunt item bina ſacri Codicis loca, vbi lectio textualis, ſiue Cthib, haber לוֹ per *Vau*, marginalis vero, ſiue Keri, לֹא per *Aleph*, 1 Sam. II, 16. c. XX, 2. quarum ſcriptionum prior ordinarie valet *ei*, poſterior vero *non:* vnde videri poſſet, diuerſarum illarum lectionum contrarios eſſe ſenſus, vt quod ſecundum illam adfirmaretur, contra per hanc negaretur, graui legentium incommodo. Itaque IO. CLERICVS in *Comment.* ad locorum poſteriorem, praecipitanter nimis, *in Codice*, inquit, *quem Maſorethae ſequuti ſunt, ad conſtituendum textum Ebraicum, vitioſe ſcriptum erat* לוֹ *pro* לֹא. Recte vero MATTH. HILLERVS libro *de Keri et Cthib* p. 72. ſq. ſtatuit, variam hanc ſcriptionem mero antiſtoecho, ſeu permutationi litterarum א et ו, acceptam ferri debere, ita vt illarum vna לוֹ non minus, quam altera לֹא, negatiue capiatur pro *non:* quomodo ceſſat vitioſae ſcriptionis probrum. Pari ratione ex quindecim illis locis, in quibus ſecundum *Maſoram* ad Leu. XI, 21. contra in textu לֹא, in margine vero לוֹ ſcribitur, ſequentes hoſce conciliare nobis licebit, Eſa. LXIII, 9. Pſalm. CXXXIX, 16. et Prou. XXVI, 2. vt nempe tam Keri לוֹ, quam Cthib לֹא, ſignificet *non*, ac adeo ambo non magis differant, quam conſimiles voculae, quae ſub diuerſa orthographia ſignificando coincidunt, פֹּא et פּוֹ *heic*, אֵפוֹא et אֵפוֹ *igitur*, Iob. XXXVIII, 11. Gen. XXVII, 33. Iob. XIX, 33. nominaque propria יָפוֹא et יָפוֹ

Ioppe,

Ioppe, Eſdr. III, 7. Ion. I, 3. עִדּוֹא et עִדּוֹ *Iddo*, Eſdr. V, 1. Zach. I, 1. Confirmat ſententiam noſtram Syriaſmus, in quo eadem negatiua Particula *non*, itidem ordinarie quidem ܠܐ, vt Ebraeorum לֹא, aliquando tamen et ܠܘ, quod τῷ לוֹ ex aſſe reſpondet, ſcribitur, v. g. Ioan. I, 13. Rom. VIII, 12. Pſal. C, 3.

§. VIII.

De *Iod* initiali, eoque per Schua vel Chirek notato, probabile eſt, lectum id aliquando veteribus fuiſſe ad inſtar *Aleph* ſeu ſpiritus lenis: v. g. יְיַחֵל *ijachel*, יִשְׁמַע *iſchmah* cet. Colligere id licet tum ex traditione SALOMONIS BEN MELECH in *Michlal Iophi* ad Mich. V, 6. vbi, הכלל כשתח״ה שוא על היוד תטה קריאתה לעולם בחירק *Regula eſt*, inquit, *vt vbi eſt Schua apud Iod, deflexa nonnihil lectione pronuncietur vt I vocale*; tum ex vſu interpretum LXX Graecorum veteriſque Latini, quo ſic inchoata nomina Ebraeorum propria expreſſerunt, vt יִגְאָל Ἰγάλ *Igal*, יְדִיתוּן Ἰδιθὼν *Idithun*, יְטוּר Ἰτουραῖοι *Ituraei*, יִצְהָר Ἰσσαάρ *Iſaar*, יִצְחָק Ἰσαὰκ *Iſaac*, יְשִׁימִיאֵל Ἰσμαὴλ *Iſmiel*, יְשַׂרְאֵלָה Ἰσερεὴλ *Iſreela*, יִשָּׂשכָר Ἰσσάχαρ *Iſſachar* cet. Robur accipit haec coniectura ex analogia tum Aethiopicae linguae, in qua ይገብር: cum ſimilibus formis legitur *igebr* pro *jegebr*, coll IOBI LVDOLFI *Gramm. Aeth.* lib I. c. V. p. 11. tum, quod noſtri inprimis inſtituti eſt, Syriacae, vtpote in qua *Iud* initiale cum ſubſtrata vocali I, etiam vbi ex Syrorum idiomate vicem τοῦ Schua Ebraeorum explet, legitur vt *Olaph*, v. g. ܝܺܠܶܕ *ilêd* pro *jilêd*, et hoc pro ܝܶܠܶܕ *jelêd*, *peperit*; idque perpetuo et ſine vlla exceptione, coll. Praeſidis Syriaſmo p. 4. Indidem duo adhuc illuſtrari poſſunt linguae Ebraicae phaenomena: vnum, quod 2 Sam XIV, 19. pro יֵשׁ ſeu יֶשׁ *eſt*, (vti a בֵּן *filius* in conſtructione dicitur בֶּן vel בִּן) ſcribitur אִשׁ; alterum, quod Dauidis pater, qui 1 Par II, 12 et alibi יִשַׁי *Jiſchai*, idem ibidem v. 13. mox אִישַׁי *Iſchai* adpellatur,

diuer-

diuerſa quidem ſcriptione, ſed lectione eadem: plane vt apud Syros indifferenter et ſcribitur et legitur ܝܣܪܝܠ et ܐܝܣܪܝܠ *Iſrael;* et vt iidem ſcribunt ܐܝܘܡܬܐ *dies* et ܐܝܩܪ *honor*, ex Chald. יממא et יְקַר, coll. iterum Praeſidis Syriaſmo p. 4. ſeq.

§. IX.

Aleph mobile in medio vocis, ſaepe fit *quieſcens*, remisſa vocali ſua ad praecedentem conſonam vocali vacuam: vt Neh. VI, 8. בודאם pro בודאם *comminiſcens ea;* Num. VIII, 6. et alibi ſaepe, חטאת conſtructum (nam abſolutum eſt חטאה) pro חטאת *peccata*, ad inſtar טבעת *annuli* et שבתת *ſabbata;* Cohel. X, 5. יצא pro יצא, et hoc pro יצאה *exiens;* Dan. VIII, 9. יצא pro יצא, et hoc pro יצאה *exiit;* Ex. XII, 16. et vbique מלאכה pro מלאכה *opus*, formae ממלכה *regnum;* item Ex. XXXV, 24. et alibi ſemper מלאכת conſtructum, et ſemel 2 Par. XIII, 10. abſolutum, pro מלאכת idem, formae ממלכת, vt liquet ex integris et Aleph mobile habentibus formis Pſal. LXXIII, 28. מלאכותיך, et 1 Par. XXVIII, 19. מלאכות; Exod. XXXI, 5. מלאת pro מלאת *implere;* Gen. XI, 23. et alibi ſemper, מאתים pro מאתים *ducenti*, Ier. X, 5. ינשוא pro ינשאו *portantur;* et 1 Reg. XVIII, 32. סאתים pro סאתים *duo ſata*, a ſingularibus מאה *centum* et סאה *ſatum;* Ez. XVII, 6. et alibi, פארת pro פארת *rami*, et Eſa. X, 33. פארה pro פארה *ramus;* Eſa. XXIX, 7. צביה pro צבאיה *oppugnantes eam;* Gen. XXVII, 40. et alibi, צואר *collum* pro צואר, inſerto א epenthetico ſeu formatiuo quadrilitterorum, vt in שמאל *ſiniſtrum latus*, et apud Arabes in اِطْمَانَّ vel اِطْبَانَّ *ſecurus, tectus fuit*, اِشْمَازَّ

cohor-

cohorruit, اسلد *intumuit ira* cet. item לִקְרָאתִי, לִקְרָאתְךָ, pro לִקְרָאתִי, לִקְרָאתְךָ *in occurſum meum*, *tuum*, cet. 2 Sam. XXI, 2. קַנְּאֹתוֹ pro קַנְּאֹתוֹ *zelare eum;* Gen. XLI, 33. יֵרֶא pro יִרְאֶה *videbit;* רָאשִׁים vbique pro רָאשִׁים *capita*, a Singulari רֹאשׁ pro רֹאשׁ *caput*, ad inſtar רְתָמִים *iuniperi* a רֹתֶם; paſſimque רִאשׁוֹן *primus* cum ſuis deriuatis, pro רִאשׁוֹן, formae יְשִׁימוֹן *ſolitudo* et שְׁפִיפוֹן *ceraſtes;* nec non רֵאשִׁית pro רֵאשִׁית *principium*, ad inſtar שְׁאֵרִית *reſiduum;* et Ez. XXXVI, 11. מֵרַאשֹׁתֵיכֶם pro מֵרַאשֹׁתֵיכֶם *prae initiis veſtris*, ab abſoluto רִאשָׁה pro רִאישָׁה, formae צְפִירָה *diadema;* שְׂמֹאל *ſiniſtrum latus*, et שְׂמָאלִי *ſiniſter*, pro שְׂמֹאל et שְׂמָאלִי; ſiue illud א epentheticum ſit, vt in paulo ante adducto צַוָּאר *collum*, ſiue adiectum in fine ſit ל, vt in גִּבְעֹל *culmus* lini, indeque denominatiuum 1 Par. XII, 2. מַשְׂמְאִלִים pro מַשְׂמְאלִים *ſiniſtrâ iaculantes*, coll. pleniore Verbi forma Gen. XIII, 9. אַשְׂמְאִילָה *in ſiniſtrum tendam*, et Eſa. XXX, 21. תַשְׂמְאִילוּ *ibitis in ſiniſtrum*. Quibus ex Nominibus propriis haecce, quae ſequuntur, adiicimus: Hoſ. X, 14. אַרְבֵאל *Arbel;* Dan. I, 6. et alibi ſemper דָּנִיֵּאל *Daniel;* 1 Par. XII, 7. יוֹעֵאלָה *Ioëla;* Hoſ. I, 4. et 2 Reg. IX, 10. יִזְרְעֶאל vel יִזְרְעֵאל *Iezreël;* Ez. I, 3. et alibi, יְחֶזְקֵאל *Ezechiel;* Gen. XVI, 11. et alibi, יִשְׁמָעֵאל *Iſmael;* Ioſ. XV, 44. et alibi, מָרֵאשָׁה *Mareſcha;* pro יוֹעֵאלָה, דָּנִיֵּאל, אַרְבֵּאל, יִזְרְעֶאל, יְחֶזְקֵאל, יִשְׁמָעֵאל, מָרֵאשָׁה, et ſecundum Cel. 10. SIMONIS Onomaſt. V. T. pag. 329. Deut. I, 1. פָּארָן pro פָּארָן *Paran.* Quod priusquam ex Syriaſmo illuſtremus, aliud, idque ſimile phaenomenon adferre iuuabit.

B §. X.

§. X.

Nempe idem *Aleph* medianum, quod per analogiam mobile debuerat eſſe, remiſſa ad praecedentem conſonam vocali, *otiatur*, et hoc duplici modo: 1) *poſt vocalem longam* aut *longae vicariam*, ſi alia praecedat vel ſequatur quieſcens littera; vt Eſa. XXX, 5. הובאיש, quae mixta forma eſt ex הבאיש et הביש *pudefactus eſt;* Iob. XIX, 2. תדכאונני pro תדכאונני *contereti me;* 1 Reg. XIV, 16. et alibi ſaepe, conſtructum חטאות pro חטאות *peccata;* 1 Sam. XIV, 33. חטאים pro חטאים *peccantes;* Ioſ. XXIV, 14. et alibi, יראו pro יראו *timete;* Neh. XII, 38. למאול pro למאול, et hoc pro למול vel למול *ex aduerſo;* Iob. XXXI, 7. et Dan. I, 4. מאום pro מאום, et hoc pro מום *labes;* Dan. IX, 2. et alibi, מלאות pro מלאות *implere;* Ier. L, 20. תמצאינה pro תמצאינה *inuenientur;* Iud. IV, 19. נאוד pro נאוד *vter;* Neh. V, 7. נשאים pro נשאים *foenerantes;* Ez. XXIII, 49. תשאינה pro תשאינה vel תשאינה *feretis*, ad inſtar illius Ez. XVI, 50. ותגבהינה *et exaltatae ſunt;* Ier. X, 5. ינשוא pro ינשאו *ferentur;* Pſal. CXLIV, 13. צאוננו pro צאוננו, et hoc pro צאננו *oues noſtrae;* Iud. VIII, 1. קראות pro קראות, et hoc pro קרא *vocare;* Pſal. IC, 6. קראים pro קראים *vocantes;* Ioſ. XXI, 10. ראישנה pro ראשנה *primum;* Eſdr. II, 69. רבאות pro רבאות *myriades;* Num. XX, 17. et alibi, שמאול pro שמאול *ſiniſtrum latus.* Quibus adde ex propriis Ioſ. XII, 29. מראון, vel vt alii ſcribunt, מראון, pro מרון *Meron;* et patronymicum ראובני pro ראובני *Rubenita*, vbique. 2) *Poſt vocalem breuem;* vt Ex. XXX, 10. et alibi, conſtructum חטאת pro חטאת *peccatum*, quomodo et ſemel Zach. XIII, 1. in ſtatu abſoluto;

luto; Gen. II, 2. et alibi, מלאכתך, מלאכתו, pro מלאכתך, מלאכתו, *opus tuum*, *ſuum*; Deut. XXIV, 10 משאת pro משאת *mutuum*; Eſa. XXVII, 8. סאסאה pro סאסאה *modius*; Zach. XI, 5: ואעשר pro ואעשר *et ditabor*; Ier. XXVIII, 10. 11. 12. 14. צואר conſtructum, pro צואר *collum*; paſſim quoque לקראת pro לקראת *in occurſum.* Forte et Eſa. X, 13. ſecundum Cthib כאביר pro כאביר *vt validus*; quomodo ſaltem facilius inde Keri כביר *validus* exiſtere potuit: et ex propriis תלאשר pro תלאשר *Thelaſſar* 2 Reg. XIX, 12. Syriſmum ſapiunt iſta, tum heic tum ſuperiore §. IX. a nobis adlata, phaenomena. Nam apud Syros hoc non forte tantum aliquando aut ſaepe, ſed vbique et citra exceptionem vllam contingit, vt *Olaph*, quoties ſecundum analogiam debuisſet praecedentem habere litteram vocali deſtitutam, toties, ad hanc remisſa vocali ſua, quaeque fuerit, quieſcat aut otietur: vt ܘܐܬܐܣܝ pro ܘܐܬܐܣܝ *ſanatus eſt*, ܘܐܟܠ pro ܘܐܟܠ *et comedit*, ܛܡܐܐ pro ܛܡܐܐ *impuri*, ܡܐܐ pro ܡܐܐ *centum*, ܒܐܘܪܚܐ pro ܒܐܘܪܚܐ *in via*, cet. Vide Praeſidis Syriaſmum p. 6. 7. et 102. ſq. Inde autem fit porro, vt *Aleph* plane excidat nonnunquam, vocali ſua poſt ſe relicta, vti apud Ebraeos in אבדך pro אאבדך *perdam te* Ez. XXVIII, 16. מלפנו pro מאלפנו *docens nos* Iob. XXXV, 11. גוה pro גאוה *faſtus* Iob. XXII, 29. cet. Sic etiam apud Syros v. g. in ܢܠܦ pro ܢܐܠܦ *docebit* Matth. V, 19. ܡܠܦ pro ܡܐܠܦ *docens* c. IV, 23. ܡܠܦܘ pro ܡܐܠܦܘ *docere* c. XI, 1.

§. XI.

Eſt et aliud *Olaph otiantis* genus, cum id ſubducta linea *occultari* Syris dicitur: vt ܐܚܝܢܐ *cognatus*, ܐܚܪܢܐ *alius*, ܐܢܫܐ *homo*, et cum praefixo ܒܐܢܫܐ *in homine*, ܒܐܪܙ *in arcano*; quae leguntur *chjôn*, *chrîn*, *noſch*, *bnoſch*, *broz*, neglecto in pronunciatione

 Olaph,

Olaph, quod in ſcriptione non niſi originis ſeruandae cauſſa exprimitur, coll. Praeſidis Syriaſmo p. 25. Idem apud Ebraeos de *Aleph* obtinet in medio vocis poſt *Schua:* vt Deut. XXXII, 6. הליהוה *numquid Domino*, quod perinde legendum, ac ſi ſcriberetur הלאדני, nempe non *haladonai*, vt ſit ab imperitioribus, ſed *haldonai*, otiante א, quia neque vocalem, in qua quieſcat, ante ſe, neque vocalem vel Schua, quibus moueri poſſit, ſub ſe habet. Sic Gen. XLV, 14. צוארי *colla*, Ier. XXVII, 12. צואריכם et Mich. II, 3. צוארתיכם *colla veſtra*, et Ioſ. X, 24. צואריהם *colla eorum*. Quemadmodum autem Syri alias inſuper litteras occultant, hoc eſt, ſcribunt ſed non legunt; ita et apud Ebraeos eadem de cauſſa, hoc eſt, vt origo vocum ſeruetur, *Iod* et *Sin* otiantur in propriis hisce, Ier. XXXVII, 13. 14. יראייה pro יראיה *Jirija*, Gen. IV, 18. מחייאל pro מחויאל *Mechijael*, et c. XXX, 18. יששכר *Iſaſchar*, vel potius *Isſachar*, forte quod ſit pro יש שכר *eſt merces*.

§. XII.

Probabile fecimus §. VIII. *Iod* initiale Ebraicum, vocalem I ſubſtratam habens, aliquando vt *Aleph* lectum veteribus fuiſſe, ad modum Syrorum. Quod ſi eſt, igitur minus mirum cenſebitur, ſi eodem modo, vt facit *Aleph* ſecundum §. IX, etiam ipſum *Iod* initiale, vocali Chirek notatum, poſt Praefixa vocali vacua, remiſſa ad haec vocali ſua Chirek, otietur. Fit hoc quidem in paucis, his tamen ſequentibus exemplis: Iob. XXIX, 21. וייחלו pro ויחלו *et exſpectabant*, ſecundum *Ben Naphthali* librosque complures in editione S. Codicis Halenſi citatos; Ier. XXV, 36. ויללת pro ויללת *et eiulatus*, coll. Varr. lectionibus in Edit. modo dicta; Prou. XXX, 17. ליקהת pro ליקהת *obedientiae*; Pſal. XLV, 10. ביקרותיך, vel cum ק dageſchato ביקרותיך, ſecundum MS. V. Erffurt. aliosque, et *Ben Naphthali*, (vt eſt cum in impreſſo variationum *B. Naphtali* et *B. Aſcher* indice, tum in *Michlal Iophi*, et

et ad marginem edit. Bragadinae Venet. A. C. 1678.) pro בִּיקְּרוֹתֶיךָ *in charis tuis*; et Cohel. II, 13. כִּיתְרוֹן pro כְּיִתְרוֹן *ſecundum praeſtantiam*. Syriſmus is eſt, quo *Iud* vocalem I ſubſtratam habens, legitur vt *Olaph*, indeque perinde ac *Olaph*, reiecta hac ſua vocali ad praecedentem conſonam vocalis expertem, quieſcit, idque ſemper et nullis in contrarium exemplis: vt ܘܺܝܕܰܥܘ pro ܘܝܺܕܰܥܘ *et cognouerunt*, ܒܺܝܠܺܝܕܳܐ pro ܒܝܺܠܺܝܕܳܐ *in nato*, coll. Praeſidis Syriaſmo p. 8. c) et p. 103. d). Nec tamen huc, vt viſum eſt aliquibus, pertinet 2 Par. XXVI, 5. בִּרְאֹת הָאֱלֹהִים, quaſi id esſet pro בִּרְאֹת, et hoc pro בִּירְאֹת *in timoribus*, vel pro בְּיִרְאַת *in timore Dei*; de qua ſiue lectione ſiue interpretatione vide Varias lectiones in Edit. Halenſi: quia Nomen יִרְאָה nuspiam legitur in Plurali, Singularis vero בְּיִרְאַת non niſi in paucis reperitur codicibus; vnde rectius exponitur ſiue *in viſionibus*, ſiue *in viſione Dei*.

§. XIII.

Ad VOCALES nunc pergimus. In quibus id videri poſſit ratione quantitatis ἀνώμαλον, quod Suffixum 1. perſonae ſingularis נִי *me*, poſt Verba 2. et 3. perſonae ſingularis Praeteritorum vbique pro longa (ָ) breuem vocalem (ַ) habet; vt 1 Par. XVII, 17. רְאִיתַנִי *vidiſti me*, Pſal. XVII, 3. צְרַפְתַּנִי *liquauiſti me*, Gen. XLV, 5. שְׁלָחַנִי *miſit me*: niſi vel in pauſa ſit, vt Ex. V, 22. שְׁלַחְתָּנִי, Num. XVI, 29. שְׁלָחָנִי; vel, vtplurimum ſaltem, 3. radicalem ה quieſcentem implicet, vt Prou. VIII, 22. קָנָנִי *habuit me*. Cur enim illud נִי non aeque per (ָ) ſcribitur, ac Suffixum 1. perſ. plur. נוּ, v. g. Pſal. LXVI, 10. בְּחַנְתָּנוּ *probauiſti nos*, et צְרַפְתָּנוּ *liquauiſti nos*, Pſ. CXXIV, 6. נְתָנָנוּ *dedit nos*? Senſit mirum huius phaenomeni *Abrah. ben Ezra*, ſed ita vt rationem eius ſibi imperuiam eſſe ingenue faſſus ſit, in צחות f. 168. b.

 ſcri-

ſcribens: כל למד הפועל שיבוא עם ני לעולם הוא פתוח כן כי מצאנוהו ולא נדע טעמו׃ *Tertia radicalis Verbi ante Suffixum* ני ME *vbique habet Patach* (loco Kamets): *ita inuenimus illud, ſed rationem eius ignoramus.* Enimuero Syriaſmus probabilem huius phaenomeni rationem pandit: vtpote in quo idem illud Suffixum 1. perſ. ſing. non in Verbis ſolum, ſed etiam in Nominibus et Particulis, ſcribitur quidem cum *Iod*, ſed ſine praeuia vocali I, v. g. ܐܚܒܢܝ אַחְבְּנִי *amauit me*, ܪܕܝܬܢܝ רְדִיתַּנִי *erudiuiſti me*, ܡܫܟܒܝ מִשְׁכְּבִי *cubile meum*, ܒܬܪܝ בָּתְרִי *poſt me.* Eius rei rationem dant Grammatici, quod Syri vocalem I in Suffixo 1. perſonae inter pronunciandum vel prorſus negligant, vel furtim tantummodo ac dimidiate exprimant. Igitur ſi et apud Ebraeos I in Suffixo ַני concipiatur non niſi furtim eſſe pronunciatum, praecedens ſyllaba velut compoſita erit, ac adeo vocalem paruam Patach admittet: plane vt et apud Chaldaeos, ex eadem probabiliter ratione, ſcribitur אַבִי pro אָבִי *pater meus* Dan. V, 13. הוֹדַעְתַּנִי *ſcire feciſti me* c. II, 23. quae ſi ad modum Syrorum legas *abh* pro *abhi*, *hoda'tan* pro *hoda'tani*, vocalis parua minorem habebit anomaliam.

§. XIV.

De NOTIS DIACRITICIS Ebraeorum obſeruamus, eas per compendium in ſcribendo coniungi in vnum: idque 1) cum figuris vocalium, vt punctum diacriticum שׁ et שׂ cum *Cholem*, v. g. שָׁלֹשׁ pro שָׁלשׁ *tres*, שׂנֵא pro שׂנֵא *oſor;* 2) alias cum aliis, vt punctum *Rebhia* cum gemino puncto *Sakephkaton*, ſecundum pleroſque codd. Gen. XXXV, 22. in ראובן pro ראובן; et ſec. edit. *Buxt.* Deut. V, 15. in מצרים pro מצרים: et punctum criticum extraordinarium cum puncto accentuali *Sakephkaton*, Gen. XVIII, 9. אֵלָיו *ad eum*, pro אֵלָיו; 3) eaſdem eorundem accentuum figuras, vbi ex diuerſa conſecutione geminari debuerant, vt Gen. XXXV,

22. וַיְהִי בִּשְׁכֹּן יִשְׂרָאֵל בָּאָרֶץ הַהִוא וַיֵּלֶךְ, et in Decalogi, gemi-nis accentibus cetera inſtructi, verbis aliquot, vt Ex. XX, 2. יְהוָה, כִּי אָנֹכִי יְהוָה אֱלֹהֶיךָ אֵל קַנָּא פֹּקֵד v. 4. וַאֲשֶׁר, v. 5. וְלֹא, et ibid. עֲוֹן אָבֹת עַל־בָּנִים עַל־שִׁלֵּשִׁים וְעַל־רִבֵּעִים, et ſic in reliquis ac-centus ſimplices pro virtualiter geminatis haberi debent. Quod ne cui mirum videatur, prouocamus ad ſimile ſcriptionis compen-dium Syris vſitatum, vtpote quibus pariter in vnam figuram coa-leſcunt 1) puncta vocalia *Zekopho* ܵ et *Pethocho* ܲ cum diacriti-co τῷ ܪ ſiue *Riſch*, vt ܢܘܪܐ pro ܢܘܪܐ *ignis*, ܫܬܐܤܝܗܘܢ pro ܫܬܐܤܝܗܘܢ *fundamenta eius* Matth. VII, 25. 2) diacritica *Ribbui* ̈, indicando Numero Plurali, cum diacritico τῷ ܪ, vt Matth. XV, 24. ܥܢ̈ܐ pro ܥܢ̈ܐ *oues*.

§. XV.

Speciatim *Dageſch* impreſſum ת mediano Nominis numeralis שְׁתַּיִם, שְׁתֵּים, שְׁתֵּי *duae*, difficultatem parit. Nam ſiue pro *Da-geſch forti* habeatur, repugnat ei praecedens *Schua*, quo ſtante ſequens littera geminari nequit; ſiue pro *leni*, obſtat itidem prae-cedens *Schua*, ſi quidem (vti vulgo exiſtimatur) ſit *mobile*. Nos tamen pro *leni* id habemus, quia Iud. XVII, 28. מִשְּׁתֵּי poſt *Schin* per *Dageſch forte* geminatum, ſecundum plurimos melioresque codices, ſuffragante *Maſora*, excidit; et contra, Ion IV, 11. in מִשְּׁתֵּים, vbi ש *Dageſch forte* amiſit, redit. Vt autem *Dageſch le-ne* tueri ſe poſſit, praecedens *Schua* ſub littera שׁ in hoc Numerali ſpecialiſſime pro Schua quieſcente capiendum, legendumque non *ſchethâiim*, ſed *ſchtaiim*, vt ſi ſcriberetur cum א praeformatiuo אֶשְׁתַּיִם. Syriſmum igitur id ſapit, vtpote in quo numeralia ܫܬ *ſex* et ܫܬܝܢ *ſexaginta* itidem leguntur velut cum implicito *Olaph* proſthetico *eſchtho* et *eſchthin*: vnde et cum *Olaph* explicito reperitur ܐܫܬ *ſex* Luc. I, 26. Gen. I, 31. coll. Praeſidis Syriaſmo p. 6.

p. 6. eademque numeralia non aliter Praefixa accipiunt, quam vt nomina inchoata per Olaph cum ſubſtrata vocali E; vt Iac. V, 17. ܘܶܫܬ *et ſex*, Marc. IV, 20. ܒܶܫܬܝܢ *in ſexaginta*, vnde et cum explicito *Olaph* ſcribitur ܕܐܶܫܬ *quod ſexaginta* Num. I, 21. Luc. I, 26. 36. coll. eodem Syriaſmo p. 103. Simili modo Syri alias quoque voces ab ſibilantibus litteris vocali vacuis inchoandas, cum praeuio Olaph et extulerunt et ſcripſerunt, v. g. ܐܶܫܬܝ pro ܫܬܝ *bibit*, ܐܶܫܟܰܚ pro ܫܟܰܚ *inuenit*; exoticasque inprimis, vt ſunt ܐܶܣܛܘܡܟܳܐ ςόμαχος 1 Tim. V, 23. ܐܶܣܛܠܳܐ ςολὴ Luc. XV, 22. ܐܶܣܛܰܣܝܣ ςάσις c. XXIII, 19. cet. et Chaldaei, אִסְטְגְנִיּוֹת ςεγανώματα, אִסְטְוָא ςοὰ, אִסְטְלָא ςολὴ, cet. apud *Buxtorfium* in Lex. Chald. Talm. Rabbinico c. 155. ſqq. facilitandae pronunciationis ergo.

§. XVI.

Singulare eſt, quod *Aleph* initiale apud Ebraeos loco *Chatephpatach* vel *Chatephſaegol* aliquando habet *Tſere:* vt in Verborum Futuris, Zach. VII, 14. אֵסָעֲרֵם pro אֲסָעֲרֵם *exturbabo illos*, Eſa. XXXIII, 10. אֵרוֹמָם pro אֲרוֹמָם *extollar*; in Imperatiuis, Ex. XVI, 23. אֵפוּ pro אֱפוּ *pinſite*, Eſa. XXI, 12. c. LVI, 9. 12. אֵתָיוּ pro אֱתָיוּ *venite.* Num et in Nominibus, tum adpellatiuis, אֵבוּס *praeſepe*, אֵטוּן *linum*, אֵמֻן *fidelitas*, אֵסוּר *vinculum*, itemque אֵזוֹב *hysſopus*, אֵזוֹר *cingulum*, אֵפוֹד *humerale*; tum propriis, אֵהוּד *Ehud*, אֵחוּד *Echud*, אֵחִי *Echi*, et אֵפֹד *Ephod?* Ita ſentit Cel. IO. SIMONIS tum in *Arcano formarum* p. 69. 80. 70. 151. 145. tum in *Onomaſtico V. T.* p. 40. 46. 66. 88. adeo vt *Tſere* ſub א in his formis esſet pro *Chatephſaegol*, ad inſtar אֱלוּל, אֱגוֹז, אֱרוֹם. Addi potuerit Asſyrii regis nomen אֵסַר־חַדֹּן 2 Reg. XIX, 37. Exiſtimari quidem posſit, *Tſere* in adpellatiuis illis adlatis esſe formatiuum, idque dupliciter, primo vt ſit purum et variabile, ſicut in לֵבָב

cor

cor et שֵׂעָר *pilus*; ſecundo vt impurum ſit et inuariabile, ſicut in נֵכָר *peregrinus*, vel *peregrinitas*, quod eſt pro נֵיכָר, formae הֵידָר *celeiſsima*, הֵיכָל *templum*: ſed priori quidem ſententiae obſtat, quod nomina iſta in ſtatu conſtructo ſingulari Tſere ſuum ſeruant, v. g. Eſa. I, 3. אֵבוּס בְּעָלָיו *praeſepe dominorum ſuorum*, Prou. VII, 16. אֵטוּן מִצְרָיִם *linum Aegypti*, 1 Sam. II, 18. אֵפוֹד בָּד *humerale lini*, ſiue *lineum*; quod ſecus fit in conſtructis לְבַב *cor* Ex. IV, 5. et שְׂעַר *pilus* Num. VI, 5. alteri vero contrariatur, quod eadem in incremento finali Tſere abiiciunt, vt אֲבוּסֶיךָ *praeſepia* Iob. XXXIX, 49. אֱמוּנִים *fidelitates* Pſal. XXXI, 24. אֲסוּרִים *vincula* Iud. XV, 14. quod ſecus fit in הֵיכָלִים vel הֵיכָלוֹת *templa* Pſal. XLV, 9. Hoſ. VIII, 14. Igitur Cel. SIMONIS ſententiae tanquam probabili libenter accedimus, agnoſcentes in exemplis iſtis adlatis *Syriſmum*, ſecundum quem *Olaph* initiale, vbi per analogiam vocali vacare debuiſſet, vbique vocalem adſumit, vt ܐܶܟܰܠ *comedit* et ܐܶܚܰܕ *cepit*, pro ܐܟܰܠ et ܐܚܰܕ, formae ܩܛܰܠ *interfecit*, coll. Praeſidis Syriaſmo p. 19. et 47. a).

§. XVII.

TONVS vocum apud Ebraeos vbique vel in vltima vel in penultima ſyllaba figitur: vnicum tantummodo eſt exemplum Eſa. L, 8. נַעַמְדָה *ſtemus*, in quo tonum occupat antepenultima. Quid igitur de hoc ſtatuendum? Vt ne regulam alias vniuerſalem infringat, dicendum videtur, mediam vocis vocalem raptim eſſe pronunciandam, vt cum praecedente vocali in vnam veluti coeat ſyllabam, ea fere ratione acſi ſcriberetur נַעְמְדָה, ad inſtar נַחְשְׁבָה *cogitemus* Ier. XVIII, 18. quomodo vox non tribus, ſed duabus (ſaltem perfectis) conſtabit ſyllabis, nec in antepenultima, ſed in penultima habebit tonum. Lucem res capiet ex Syriſmo, in quo, vt toni ſedes pariter ac in Ebraiſmo vel in penul-

tima eſt, vel in vltima, ita ſi quando contingat, tonum ad antepenultimam referri, (quod fit, quum concurrentibus duabus in medio vocis litteris, quae vocali carere poterant, prior illarum asſumit E) eadem concurrentium litterarum prior vna cum vocali adſumit lineolam diacriticam horizontalem infernam, *Mebagjono* dictam, vt notetur, ſyllabam mediam cum vocali quidem efferri, ſed tenuius, tonumque poſt adſumtam in medio vocalem, remanere in ordinaria ſede, haud aliter ac ſi mediana vocalis non adesſet: vt ܕܶܚܶܠܬܳܐ *timor*, ܡܰܕܶܢܚܳܐ *oriens* cet. quae leguntur non *dechéltho*, et *madéncho*, ſed *déchelthto* et *mádencho*, idque tam tenui medianae vocalis motu, acſi pronunciares *dechltho* et *madncho*; vnde et ſine vocali mediana ſaepe ſcribuntur ܕܶܚܠܬܳܐ et ܡܰܕܢܚܳܐ. Vide Praeſidis Syriaſmum p. 24. ſq. §. VI.

§. XVIII.

Ad Syriſmos quoque referimus, cum tonus ante ſuffixum nominale 1. perſonae in penultima ſyllaba aliquando ſuſpenditur: vt quum Naeman, homo quidem Syrus, Ebraice tamen loquens inducitur 2 Reg. V, 18. בְּהִשְׁתַּחֲוָיָתִי *in adoratione mea*, cum tono in penultima, indeque cum accentu Paſchta geminato; et quum Mich. VII, 8. 10. bis legitur אֹיַבְתִּי *inimica mea*, penacute. Certe Syri ſcribunt Matth. IX, 18. ܒܪܰܬܝ *filia mea*, 2 Cor. II, 3. ܚܕܽܘܬܝ *gaudium meum*, Eph. III, 4. ܝܺܕܰܥܬܝ *ſcientiam meam* Matth. XVI, 18. ܥܺܕܬܝ *eccleſiam meam* cet. legentes ea haud aliter acſi Ebraice ſcripta esſent בְּרַתִּי, חֲדוּתִי, יְדַעְתִּי, עֲדָתִי, id eſt, cum ſuffixo quidem Iod, ſed ſine praeuia vocali, quam proin vel negligunt prorſus, vel non niſi furtim pronunciant, vt oſtendimus §. XIII. vnde conſequitur, vt tonum non in ſuffixo, ſed in praecedente ſyllaba figant. Forte hoc apud Ebraeos poſtmodum et ad propria quaedam dimanauit virorum Nomina, חֲנָנִי *Chanáni* 1 Reg. XVI, 1. כְּנָנִי *Chenáni* Neh. IX, 4. עֲנָנִי *Anáni* 1 Par. III, 24. et ad adpellatiua aliqua habentia *Iod* paragogicum, Thren. I, 1.

רַבָּתִי

רַבָּתִי בַגּוֹיִם *ampla inter gentes*, et שָׂרָתִי בַּמְּדִינוֹת *princeps inter provincias*, Hoſ. X, 11. אֹהַבְתִּי *amans:* quod tamen aliorum vlteriori diſquiſitioni nunc relinquimus.

§. XIX.

Ab orthographia vertimus nos ad ETYMOLOGIAM, quam pariter ex Syriſmo, ſecundum partes orationis, Verba, Nomina et Particulas, illuſtraturi, ex ordine Orientalibus Grammaticis recepto, a Verbis merito initium facimus, conſiderando illorum Accidentia, quatenus ex Syriacis noſtro iudicio aliquid capere posſunt lucis.

§. XX.

Quod igitur ad SPECIEM *Verborum*, ſunt illa vel *primitiua* vel *deriuatiua*. Et *deriuatiuis* quidem *quadrilittera* quoque, cum Nominibus inde deductis, accenſeri debere, vna cum deriuationis et formationis modo, Praeſes in Syriaſmo pag. 32. 33. dilucide oſtendit: ad cuius inſtar Ebraica quadrilittera, eorumque originem, nunc declarabimus. Vt autem Syriaca, ita et Ebraica *Quadrilittera* a trilitteris orta ſunt, idque vel I) per *geminationem* ſeu *repetitionem* vnius alteriusue litterae radicalis, v. g. a) 1. et 3. radicalis, טִלְטֵל *iactare* a טוּל *iacere*, כִּלְכֵּל *ſuſtentare* a כּוּל *ſuſtinere*, vt ܪܘܡܪܡ *exaltare* a ܪܳܡ *altum eſſe*; b) 1. radicalis, גִּלְגֵּל *volutare* a גָּלַל *voluere*, עוֹעֵר *excitare* ab עוּר *expergiſci*, vti ܡܰܪܡܰܪ *exacerbare* a ܡܰܪ pro ܡܪܰܪ *amarum eſſe*; c) 1. et 2. radicalis, תִּעְתַּע *decipere* a תָּעָה *errare*, עַרְעֵר *deſolare* ab עָרָה *nudare*, vt ܛܰܦܛܶܦ τύφεσθαι *fumigare* a Chald. טְפָא *exſtinctum eſſe*; d) 3. radicalis, אֻמְלַל *viribus exhauſtum eſſe* ab אָמַל *languere*, קְלֹקֵל *viliſſimus* a קַל *vilis*, vt ܐܶܬܝܰܒܰܒ *cupidine ardere* ab Ebr. יָאַב *cupere:* vel II) per *adiectionem* nouae alicuius litterae, idque 1) per *proſtheſin* ab initio, a) ה, in הֵיכָל *palatium*, *templum*, ab יָכֹל *poſſe* et generatim *ca-*

 pacem

pacem eſſe, vt ܗܝܡܢ *credidit* ab ܐܡܝܢ *ſtabilis*, *firmus*; b) ס in סַנְוֵר *caecitas*, σκότωμα, ab inuſitato סַנְוֵר *lumine priuauit*, ab Arab. נור *lucere*, a quo apud Ebraeos ſupereſt נֵר *lucerna*, et מְנוֹרָה *candelabrum*, vt ܣܩܘܒܠ ſ. ܐܣܬܩܒܠ *aduerſatus eſt*, a ܩܘܒܠ *obuius*, *contrarius fuit*; c) שׁ in שַׁלְהֶבֶת *flamma*, a לַהַב vel לֶהָבָה idem, שְׁקַעֲרוּרָה *cauitas*, ab Arab. קער *profundus fuit*, *profundum petiit*, geminata ſimul 3. radicali, et pr. שִׁנְעָר *excusſio*, id eſt, *Babylonia*, vnde hominum genus poſt aedificatam turrim Babylonicam quaquauerſum excusſum fuit Gen. X, 2. 8. vt ܫܡܠܝ *impleuit*, a ܡܠܐ idem, ܫܥܒܕ *ſeruire fecit*, ab ܥܒܕ *ſeruiuit*; d) ת in תַּחֲרָה *curſu certauit*, *ferbuit*, a חָרָה *ardere*, תְּפוּץ *diſperſit*, vnde Ier. XXV, 34. וּתְפוֹצוֹתִיכֶם *et diſpergam vos*, a פוץ *diſpergere*, תִּרְגַּל *pedem greſſumue formauit*, a רֶגֶל *pes*, תַּרְגֵּם *interpretari*, ex lingua vna in alteram *transfundere*, a רָגַם *funda iacere*, *transfundere*: 2) per *epentheſin*, in medio vocum, a) ו in שׁוֹרֵשׁ *radicari*, a שֹׁרֶשׁ *radix*, שׁוֹסֵה *diripere*, a שָׁסָה idem; vt ܓܘܙܠ *abripuit*, ab Ebr. גָּזַל idem, ܥܘܩܒ *contorſit* ab Ebr. עָקַד *colligauit*; b) י in הֵידָד *celeuſma*, ab obſoleto הדד, Ar. هدّ *ſonum edidit*, et هزّ *exultauit*, כֵּילַפּוֹת *malleus* ab obſoleto כָּלַף, vnde apud Graecos ſupereſt κολάπτω *tundo*; vt ܣܝܒܪ *ſuſtinuit*, a Chald. סְבַר idem; c) ס in כִּרְסֵם *ſuffodere* ab inuſitato כרם, vnde ſupereſt כֶּרֶם *vinea*, et כַּרְמֶל *aruum*; it. in pr. כַּסְלֻחִים *Casluchaeus* Gen. X, 14. a כלח, a quo nomen loci כֶּלַח ibid v. 14. inprimis ſi aſſumatur, quod SAM. BOCHARTVS in ſuo *Phaleg*. l. IV. c. 31. probabile effecit, *Casluchaeos* fuiſſe *Colchos*; vti ܒܣܬܪ *a tergo* a ܒܬܪ *poſt*; d) ר in סַרְעַפָּה *ramus* a סְעִפָּה idem, שַׁרְבִיט *ſceptrum* a שֵׁבֶט idem, et in proprio דַּרְמֶשֶׂק pro

דַּמֶּשֶׂק

דַּמֶּשֶׂק *Damaſcus* 1 Par. XVIII, 5. 6. vti ܟܘܪܣܝܐ *ſolium* ex Ebr. כִּסֵּא idem, ܓܢܓܠ *volvit* ab ܓܓܠ idem; 3) per *paragogen* in vocum fine, eamque τῶ א, ה vel ו, vt טַחֲוֹה *iaculari*, vnde Gen. XXI, 16. כִּמְטַחֲוֵי קֶשֶׁת *ſicut iaculantes arcu*, הִשְׁתַּחֲוָה *proſtrauit ſe*, a שָׁחָה *humilis fuit*, Ier. XV, 10. מְקַלְלוֹנִי pro מְקַלְלֵנִי vel מְקַלְלֵנִי *maledicens mihi*, (Pſal. XX, 4. יְדַשְּׁנֶה *pinguia habeat*, 1 Sam. XXVIII, 15. וָאֶקְרָאֶה *et vocaui*, et Prou. XXIV, 14. דְּעֶה *agnoſce*, aliorſum ſpectare videntur) et in Nomine חֶלְכָה vel חֶלְכָא, vnde Pl. חֶלְכָּאִים *miſeri* Pſal. X, 8. 10. forte et in תַּחְרָא *lorica* Ex. XXVIII, 32. c. XXXIX, 25. vti apud Syros *Iud*, Ebraeorum א vel ה quieſcenti reſpondens, in ܦܪܣܡ *publicauit*, ܥܠܦܡ *mutauit*, ܥܡܛܡ *obfuſcauit*, a trilitteris ܦܪܣ, ܥܠܦ, et ܥܡܛ, idem ſignificantibus.

§. XXI.

Ratione QVALITATIS Verba vel *regularia* ſunt, vel *irregularia*: et haec 1. *gutturalia*, 2. *quieſcentia*, 3. *defectiua*, 4. *geminata*. De *irregularibus* obſeruamus: a) ea formas ſuas interdum permutare, ſignificatu manente vel eodem vel ſaltem cognato, vt אָפֵס *eſſe deſiit*, פַּס pro פָּסַס *imminutus eſt*; יָסַף et סָפָה *addidit*; אָזַר et זָרָה *cinxit*; רָאַם et רוּם *altus fuit*; אָתָא et אָתָה *venit*; הָמָה et הוּם *ſtrepuit*, יָגֹר et גּוּר *timuit*; דּוּחַ, דָּחָה, דָּחַח et נָדַח *impulit*; מוּל, מָלַל et נָמַל *ſecuit*, *circumcidit*, cet. Quod Ebraicae cum Syriaca lingua commune eſt, docentibus id exemplis, quae Praeſes in Syriaſmo attulit p. 34. V. b) Verba mediae rad. ו pro diuerſo ſignificatu diuerſam ſubire flexionem et formam. Nam v. g. integra חָוַר, עָוַל, עָוֵר, עָוַת, רָוָה et שָׁוַע ſunt *palleſcere*, *cingere*, *iniuſte agere*, *excoecare*, *curuare*, *laxum eſſe*, et *vociferari*;

rari; at eadem defectiua ſeu quieſcentia חוּר, הֵעִיד, עוּל, עוּר, עוּת, הֵרִיחַ, et שׁוּעַ, ſunt *candidum eſſe*, *teſtari*, *lactare*, *euigilare*, *tempeſtiue agere*, *odorari* et *ſaluum eſſe:* quae ſignificationes etſi in quibusdam adfines ſint, tamen differunt. Idem ſit apud Syros: vt ܙܳܘܰܪ *pugno cepit*, at ܙܳܪ *deflexit;* ܚܳܘܰܪ *albuit*, at ܚܳܪ *intuitus fuit;* ܐܰܪܘܰܚ *refocillauit*, at ܐܰܪܺܝܚ *olſecit;* ܦܳܘܰܚ *germinauit*, at ܦܳܚ *liquatus fuit.*

§. XXII.

Quod ad CONIVGATIONES, *ſignificatio* illarum apud Ebraeos ſubinde ſpecialior ex Syriaſmo illuſtrari poteſt. Prima illarum *Kal* in Praeterito triplicem formam habet, 1. קָטַל, 2. קָטֵל, 3. קָטֹל: quarum haec rarior, illa frequentior, iſta vſitatisſima eſt. Ac media quidem forma קָטֵל ſignificatione vix alia gaudet, quam intranſitiua et quaſi pasſiua, ita vt Graecorum Latinorumque Verbis ſiue Pasſiuis ſiue Mediis Deponentibusue reſpondeat, et ex actiuo et pasſiuo velut mixtum quid notet: idque I. GENERATIM, vt אָשֵׁם *reum eſſe* vel *fieri*, גָּבֵר *inualeſcere*, κραταιοῦσθαι, ὑπερδύνασθαι, גָּדֵל *adoleſcere*, *magnum eſſe*, vel *fieri*, דָּבֵק *adhaerere*, προσκολλᾶσθαι, דָּשֵׁן *pingueſcere*, παχύνεσθαι, טָהֵר *purum eſſe* vel *fieri*, καθαρίζεσθαι, יָרֵשׁ *haereditare*, κληρονομεῖσθαι, לָבֵשׁ *induere*, *indui*, *indutum eſſe*, ἐνδιδύσκεσθαι, מָלֵא *plenum eſſe* vel *fieri*, ἐμπλήθεσθαι, ἐμπληροῦσθαι, נָעֵם *ſuauem eſſe*, *deliciari*, ἡδύνεσθαι, עָצֵם *inualeſcere*, κραταιοῦσθαι, צָלֵחַ *progredi*, *prouehi*, εὐοδοῦσθαι, קָדֵשׁ *ſanctum eſſe* vel *fieri*, ἁγιάζεσθαι, שָׁאֵל *ſciſcitari*, πυνθάνεσθαι, שָׂבֵעַ *ſaturum eſſe* vel *fieri*, χορτάζεσθαι, שָׁכֵחַ, *obliuiſci*, ἐπιλανθάνεσθαι, שָׁכֵן *ſubſidere*, *demitti*, *habitare*, ἀναπαύεσθαι, שָׁמֵעַ *audire*, ἀκροᾶσθαι, ἐνωτίζεσθαι, qs. *auditu tangi:*

II. SPE-

II. SPECIATIM, idque 1) ad notandum corporum *decrementa*, *debilitatem*, *priuationem*, *vitia*, vt אָפֵס *ceſſare*, παύεσθαι, et aliquando ex verſione τῶν ό. αἴρεσθαι *tolli*, זָקֵן *conſeneſcere*, παλαιοῦσθαι, חָדֵל *deſinere*, ἀφίςασθαι, חָמֵץ *fermentari*, ζυμοῦσθαι, חָנֵף et טָמֵא *impurum eſſe* vel *fieri*, μολύνεσθαι, חָסֵר *carere*, ὑςερεῖσθαι, יָבֵשׁ *areſcere*, ξηραίνεσθαι, כָּבֵד *grauem eſſe* vel *fieri*, *hebeſcere*, βαρύνεσθαι, מֵת *mori*, θανατοῦσθαι, נָבֵל *marceſcere*, *defluuium pati*, παλαιοῦσθαι, עָשֵׁשׁ *contabeſcere*, צָמֵא *ſitire*, *a ſiti adfici*, קָמֵל *langueſcere*, רָעֵב *eſurire*, *famem pati*, שָׁמֵם *deuaſtatum eſſe* vel *fieri*, שָׁפֵל *humiliari*, ταπεινοῦσθαι; 2) ad notandum *adfectus*, quae ſunt *animi* παθήματα ſeu *paſſiones*; vt אָהֵב *amare*, חָפֵץ *delectari*, εὐαρεςεῖσθαι, ἱμείρεσθαι, βούλεσθαι, חָפֵר *pudore ſuffundi*, ἐπαισχύνεσθαι, ἐντρέπεσθαι, αἰδεῖσθαι, יָרֵא *vereri*, φοβεῖσθαι, שָׂמֵחַ *gaudere*, *laetari*, εὐφραίνεσθαι, שָׁמֵם *obſtupeſcere*, ἐξίςασθαι, שָׂנֵא *odiſſe* ſiue ἐχθραίνεσθαι, *inimicari*. Obſtat obſeruationi noſtrae exemplum (vt putamus) vnicum חָצֵב *caedere*, *excidere*, quod mere tranſitiuum eſt, ac adeo exceptioni adſcribatur per nos licet: niſi id malis cum Latino *lignari*, quod ſub Paſſiui forma deponens eſt, conferre. Interim firmat obſeruationem conſenſus non Arabicae ſolum linguae, (de qua tamen in praeſenti non agimus) verum etiam Syriacae. Praeter exempla a Praeſide in Syriaſmo p. 39. ſatura lance adlata, huc pertinent ܒܛܢ *grauidam eſſe* vel *fieri*, ܒܪܟ *in genua procumbere*, ܝܒܫ *exareſcere*, ܝܠܦ *diſcere*, *doctum eſſe*, ܝܬܪ *praeſtare*, *maiorem eſſe* vel *fieri*, ܝܬܒ *ſedere*, ܐܟܠ *veſci*, ܢܟܦ *caſtum eſſe*, ܣܠܩ *adſcendere*, ܫܐܠ *petere*, ܫܡܢ *pinguem eſſe*, ܚܠܡ *conualeſcere*, cet.

§. XXIII.

§. XXIII.

Altera Coniugationum *Niphal*, quae ordinarie Verba Paſſiva ex prima *Kal* ducit, contra ex *Hiphil* aliquando Paſſiua Verba format: v. g. נִזְהַר *moneri* cum effectu, *cautum eſſe*, ex הִזְהִיר *monere, cautum facere;* Leu. IV, 14. וְנוֹדְעָה *et*, non *cognitum*, ſed *notum factum fuerit*, per alios, puta, coll. v. 23. 28. vbi pro eo eſt, אוֹ הוֹדַע אֵלָיו *ſi notum* quis *fecerit ei;* נוֹשַׁע *ſaluari*, ex הוֹשִׁיעַ *ſaluare;* Deut. XXXIII, 29. יִכָּחֲשׁוּ *mentiri* (i. e. adulari) *cogentur*, ex הִכְחִישׁ *mentiri fecit;* נִכָּה *percuti*, ex הִכָּה *percutere;* נִכַּר *dignoſci*, ab הִכִּיר *dignoſcere;* Eſa. XLIV, 21. לֹא תִנָּשֵׁנִי *ne fias obliviſci* (i. e. *ne inducaris* ab aliis *ad obliuiſcendum*) *mei*, ab הִשָּׁה *obliviſci fecit;* Ezech. XIV, 4. 7. נַעֲנֵיתִי לוֹ et נַעֲנֶה לוֹ *mouebor ad reſpondendum ei*, ab הַעֲנָה *ad reſpondendum mouere;* Ex. XXII, 7. וְנִקְרַב *et accedere fiet*, ſiue *adducetur*, ex הִקְרִיב *adducere;* נִרְגַּע non, *moveri*, velut ex Kal רָגַע *mouere*, ſed, *tranquillari*, ex Hiph. הִרְגִּיעַ qs. *demouere*, i. e. *tranquillare;* נִשְׁבַּע *iurare*, qs. *iureiurando obſtringi*, ab הִשְׁבִּיעַ *adiurare;* et 2 Sam. XXII, 27. Pſal. XVIII, 45. יִשָּׁמְעוּ non, *audientur*, ſed, *dicto audientes fient*, ab הִשְׁמִיעַ *audire facere.* Eodem modo Syrorum Coniugatio *Ethpeel*, quae Ebraicae *Niphal* reſpondet, non ſemper ex prima, ſed ex quarta *Aphel*, quae *Hiphilicae* Ebraeorum συστοιχεῖ, paſſiuam ſignificationem habet. Exempla dedit Praeſes in Syriaſmo p. 36. β) et p. 130. §. VI. quibus illuſtrandis ſequentia addimus loca ex Verſione N. T. Syriaca: Matth. II, 12. ܘܐܬܚܙܝ *et oſtenſum eſt*, non ex ܚܙܐ *vidit*, ſed ex ܐܚܙܝ *videre fecit, oſtendit;* Eph. III, 35. ܐܬܝܕܥܬ ܠܝ non, *cognitum*, ſed *notificatum eſt mihi*, ἐγνωρίσθη, ex ܐܘܕܥ *ſcire fecit, notificauit;* Ioh. I, 31. ܢܬܝܕܥ ἵνα φανερωθῇ Phil. II, 8. ܐܫܬܡܥ non, *auditus*, ſed, *dicto audiens* ſiue *obediens factus eſt*, ὑπήκοος γενόμενος,

ex

ex ܐܰܫܡܰܥ *audire fecit;* Matth. IV, 12. ܐܶܫܬܠܶܡ non, *perfectus eſt,* ex ܫܠܶܡ *finiit,* ſed, *traditus eſt,* ex ܐܰܫܠܶܡ *tradidit.*

§. XXIV.

Porro Verba *Neutra* Ebraeis aliquando pro *Paſſiuis* venire, probant exempla: vt Deut. XXII, 3. אֲשֶׁר תֹּאבַד מִמֶּנּוּ *quae periit* (pro, *amiſſa eſt*) *ab eo;* Hoſ. XIV, 2. *ſicut furnus* בֹּעֵרָה מֵאֹפֶה *ardens* (i. e. *ardere factus,* ſiue *ſuccenſus*) *a piſtore;* Ex. XXX, 32. *ſuper carnem hominis* לֹא יִיסָךְ *non deſluet,* i. e. *non effundetur;* Gen. L, 26. וַיִּישֶׂם *et iacuit* (pro *repoſitus eſt*) *in arca;* Ex. XXXII, 24. וַיֵּצֵא *et exiit* (pro, *effectus eſt*) *vitulus hicce;* plane vt Prou. XXIV, 4. וַיֵּצֵא לַצֹּרֵף כֶּלִי *et prodibit* (*efficietur*) *aurifabro vas,* coll. Eſa. LIV, 16. מוֹצִיא כְלִי לְמַעֲשֵׂהוּ *exire facientem* (i. e. *efficientem*) *vas ad opus ſuum.* Item Deut. XIV, 22. *ſeminis tui,* הַיֹּצֵא הַשָּׂדֶה *exeuntis* (i. e. *quod effertur*) *in agrum,* coll. c. XXVIII, 38. *ſemen multum* תּוֹצִיא הַשָּׂדֶה *efferes in agrum;* Zach. XIV, 2. וְיָצָא *et exibit* (non ex ſe et ſua ſponte, ſed coacta; i. e. *abducetur*) *dimidia pars vrbis in captiuitatem;* c. XI, 2. יָרַד *deſcendit* (i. e. *caeſa* ſ. *deiecta eſt*) *ſilua ardua;* Ezech. XXVI, 11. *ſtatuae tuae validae in terram* תֵּרֵד *deſcendent,* i. e. *deiicientur;* 1 Sam. XIV, 39. מוֹת יָמוּת *moriendo morietur,* pro, *occidendo occidetur,* quomodo et v. 44. alibique ſaepe; Ioſ. VII, 4. וַיָּנֻסוּ *et fugerunt,* i. e. *fugere coacti* ſ. *fugati ſunt;* Eſa. X, 34. *et ſaltus Libani per potentem* יִפּוֹל *cadet,* i. e. *caedetur;* Leu. II, 12. *ad altare* לֹא יַעֲלוּ *non adſcendent,* i. e. *adſcendere fient* ſeu *offerentur;* 2 Reg. III, 20. כַּעֲלוֹת *cum adſcenderet* (i. e. *offerretur*) *munus;* Iob. V, 26. כַּעֲלוֹת *ſicut adſcendit* (i. e. *aggeritur*) *aceruus frumenti tempore ſuo;* Dan. XI, 31. וּזְרֹעִים מִמֶּנּוּ יַעֲמֹדוּ *et brachia* (agmina militaria) *ab illo ſtabunt,* i. e. *conſtituentur;* Gen. XXIII,

D 17. 20.

17. 20. וַיָּקָם *et ſtetit*, i. e. *ſtare factus* ſeu *confirmatus eſt*; c. XLIII, 18. *argentum* הַשָּׁב *quod reuertit* (i. e. *reſtitutum eſt*) *in ſaccos noſtros*, coll. v. 12. vbi id efferebatur in Hophal הַמּוּשָׁב *reſtitutum*; et Coh. I, 15. לִתְקֹן *rectum esſe*, i. e. *rectificari* ſeu *emendari*. Idem apud Syros obtinere, Praeſes in Syriaſmo p. 128. ſq. pluribus demonſtrauit exemplis, quibus nunc addimus haecce: Matth. XII, 25. ܠܡܚܪܒܘ *ſolitarium erit* pro *deſolabitur*, ἐρημοῦται; Leu. X, 18. ܠܐ ܥܐܠ *non ingreditur*, ex Ebr. לֹא הוּבָא *non illatum eſt*; Matth. XII, 25. ܠܐ ܢܩܘܡ *non ſtabit*, i. e. *non ſtabilietur*, οὐ σταθήσεται; ibid. v. 13. et Marc. III, 5. Luc. VI, 10. ܘܐܬܬܩܢܬ ܐܝܕܗ *et recta fuit*, (i. e. *rectificata* ſeu *reſtituta eſt*) *manus eius*, καὶ ἀποκατεστάθη.

§. XXVI.

E contrario Verba Ebraeorum *Pasſiua* pro *actiuis*, ac adeo deponentialiter, aliquando veniunt; per actiua ſaltem reddi posſunt, vtut pasſionem forte inuoluant. Pertinent huc Participium *Paul*: vt Cant. III, 8. אֲחֻזֵי חֶרֶב *tenentes gladium*, quaſi *tenere facti*, id eſt, *inſtructi gladio*; אָנוּשׁ *aegrotans*, *incurabilis*, quaſi *aegritudinem patiens*, ſeu *aegritudine adfectus*; Neh. IV, 12. *Quisque gladium ſuum erant* אֲסוּרִים *ligati* (i. e. *ligatum habentes*, ſeu *ligauerant*) *ſuper lumbos ſuos*; Eſa. XXVI, 3. Pſal. CXII, 7. בָּטוּחַ *confidens*, qs. *fretus*, *nixus*, et vt Latini quoque dicunt, *confiſus*; Pſal. CIII, 14. זָכוּר *recordans*, ſeu qs. pasſiue, *recordatus*, *in memoriam rei ex ſe ipſo ductus*; Num. XXXII, 17. חֻשִׁים *feſtinantes*, qs. *citi*, *expediti*; Neh. X, 2. וְעַל הַחֲתוּמִים *et inter ſubſignantes*, proprie *ſubſignatos*, i. e. quorum ſubſcripta erant nomina et adiecta ſigilla; forte יָקוּשׁ *auceps*, qs. *inſidioſe intentus* auibus feriſue capiendis, Ier. V, 26. Pſal. XCI, 3. et Prou. VI, 5. idem quod יוֹקֵשׁ *tendens*

laqueos

laqueos Pſ. CXXIV, 7. dummodo ſupponas radicem ſub duplici forma, actiua יָקֹשׁ *tendere* Pſ. CXLI, 9. et qs. paſſiua ſeu intranſitiua יָקֹשׁ *inſidioſe intentum eſſe* ſeu *inſidiari* Ier. L, 24. Item 1 Par. V, 18. וּלְמוּדֵי מִלְחָמָה *et qui adſueuerant*, ſiue *qui adſuefacti erant bello;* סוּר, vnde סוּרִים *recedentes*, *degeneres*, qs. *remoti* a debito Obiecto et ingenio, Ier. II, 21. c. XVII, 13. et סוּרָה *exulans*, qs. *remota* a ſolo patrio, Eſa. XLIX, 21. nec non Ezech. XXIII, 15. סְרוּחִים *luxuriantes*, qs. *luxuriati* ſeu *per luxuriem protenſi;* Ez. XXI, 23. vel 28. שְׁבוּעִים *iurantes*, qs. *iuramento obſtricti;* Pſal. XCII, 12. בְּשׁוּרָי *in obſeruatoribus* (h. e. *inimicis*) *meis*, dictis alias שׁוֹרְרִים actiua voce Pſal. V, 9. qs. inſidioſo vultu in me *intentis;* Iud. VIII, 11. הַשְּׁכוּנֵי בָאֳהָלִים *habitantes* (qs. *habitando defixi*, *angeſesſene*) *in tentoriis;* Eſa. LI, 21. שְׁכֻרַת *ebria*, qs. *inebriata*, *ebrietatem paſſa;* et ex mente *A. Ezrae* Prou. XXVIII, 17. עָשׁוּק pro עֹשֵׁק *iniuſte agens*, qs. *ad iniuſte agendum compoſitus;* quin et Ier. XLVIII, 44. הָנִיס *fugiens*, quod ſecundum *Cthib* legendum הָנִיס forma chaldaizante, *fugatus*, *in fugam conuerſus*. Pertinet huc quoque τῷ *Paul* analoga forma Adiectiui פָּקִיד: vt בָּרִיחַ *fuga elapſus*, *ein geflüchteter*, יָפִיחַ *loquens*, qs. *loquutus*, ſub forma alias paſſiua, Prou. VI, 19. c. XII, 17. c. XIV, 5. 25. c. XIX, 5. 9. loco cuius et יָפֵחַ, et in regimine יְפֵחַ dicitur Pſal. XXVII, 12. item יָגִיעַ *defeſſus*, יָצִיא *egreſſus*, 2 Par. XXXII, 21. נָטִיל *ferens*, qs. *oneratus* Soph. I, 11. פָּלִיט *euaſor*, *fuga ereptus*, עָתִיק *aetate prouectus*, *gealtert*, cet. Eodem igitur modo et Syrorum *Peil* ſaepe numero capitur. Nam praeter exempla a Praeſide in Syriaſmo p. 129. ſeq. adducta, huc pertinent quae ſuperaddimus: 1 Cor. I, 18. ܐܒܝܕܝܢ *pereuntes*, qs. *perditi;* Matth. IX, 24. ܕܡܝܟ *dormiens*,

 qs.

qs. *ſomno obruta*, *ſoporata*; Phil. IV, 13. ܡܨܐ ܐܢܐ ܚܝܠܐ *ſum potis* (qs. *potitus* et *inſtructus*) *robore*, ſeu *valeo*; Act. IV, 35. ܐܝܟ ܕܡܣܬܢܩ ܗܘܐ *id quo indigebat*, qs. *deſtituebatur*; Luc. XXI, 4. ܟܠ ܕܡܩܢܝܐ ܗܘܬ *omne quod poſſidens*, ſeu vt hodierna phraſi iudiciali nobis vti liceat, *quo poſſeſſionata erat*; Phil. I, 23. ܡܬܪܓܪܓ *deſiderans*, qs. *deſiderio commotus* ſiue *incenſus*; et Gen. XLVII, 1. ܡܬܬܒܝܢ *habitantes*, qs. *domicilium nacti*.

§. XXVI.

Sic et in Paſſiua Coniugatione *Niphal* efferuntur Ebraeis aliquando Verba, quae ex alio, et inprimis aliarum linguarum, concipiendi modo actiua ſunt: idque 1) in denotandis animi vel corporis paſſionibus; vt Ezech. IX, 4. נֶאֱנָח *ingemiſcere*, et נֶאֱנַק idem; 2 Sam. XII, 15. נֶאֱנַשׁ *aegrotare*, *infirmari*; Dan. VIII, 27. נֶחֱלָה idem; Num. XII, 11. נוֹאַל *ſtultum eſſe*; Gen. VIII, 2. נוֹחַל *exſpectare* cum dolore; Gen. XXXI, 30. נִכְסַף *deſiderare*, נִכְשַׁל *lapſare*, 1 Sam. VII, 2. נִנְהָה *eiulare*, נִחַם *poenitere*, Eſa. XLIV, 21. נִשָּׁה *obliuiſci*, Iud. XVIII, 1. נֶעֱצַל *pigrari*, Prou. XVIII, 19. נִפְשָׁע *rebellem*, ſ. *contumacem et inexpugnabilem eſſe*, Deut. I, 27. נִרְגַּן *murmurare*: 2) vbi actio editur ex aliorum vel ope, vel permiſſione, vel iusſu; vt נִבָּא *vaticinari*, *inſpiratum eſſe*, et φέρεσθαι ὑπὸ τȣ̃ πνεύματος τȣ̃ ἁγίȣ, Pſalm. CIX, 23. נֶהֱלַךְ *coactum abire*, Gen. XXXIII, 7. Ex. XIX, 22. c. XX, 18. et Ier. XXX, 21. נִגַּשׁ *accedere*, altero vel iuuante, vel permittente, vel iubente, Ex. XXII, 7. נִקְרַב *adpropinquare* ex impoſitione ſiue actoris ſiue iudicis, Eſa. XIX, 14. נִתְעָה *errare*, *in errorem induci*, *errando circumagi*: vel 3) alia quacunque de ratione; vt Gen. XXXIV, 10. Ioſ. XXII, 9.

נֶאֱחַז

נֶאֱחַז *poſſeſſionem capere*, qs. *poſſeſſionatum fieri*, Ez. XXXVI, 37. נִדְרַשׁ *reſpondere interrogatum* ſiue *conſultum*, 1 Par. XXIII, 6. c. XXIV, 3. נֶחְלַק *diſpertiri*, ſeu *diuiſos* ſecundum familias *accipere*, נִבַּט *intueri* et נִשְׁקַף *proſpicere*, qs. aliis *intuendum* et *ſpectandum dari*, Ex. XXIII, 12. c. XXXI, 17. נִפַּשׁ *reſpirare*, qs. *recreari*, Ez. XIV, 4. 7. נַעֲנָה *reſpondere*, qs. *ad reſpondendum induci*, Ex. III, 18. נִקְרָה *occurrere*, *obuium fieri*. Iuuat hanc obſeruationem lingua Syriaca, in qua ſimilem in modum Verba paſſiua capiuntur, vt Praeſes in Syriaſmo p. 129. pluribus oſtendit exemplis; quibus haec pauca ſuperaddimus: ܐܬܒܩܝ *καταμανθάνειν intueri*, qs. *intentum eſſe* in aliquid, Matth. VI, 28. ܐܬܚܫܒ *cogitare*, *ratiocinari* Rom. II, 3. c. XV, 5. ܐܬܦܪܥ *ἀπολαμβάνειν recipere*, qs. *retribui*, i. e. *retributionem accipere*, Luc. VI, 34. ܐܫܬܠܛ *dominari*, qs. *dominio inſtructum eſſe*, Rom. VI, 14. ܐܬܬܘܝ *poenitere*, *reſipiſcere*, qs. *poenitentia duci*, Matth. XXVII, 3.

§. XXVII.

Verba item *paſſiua* Ebraeis ſaepe veniunt pro *actiuis reciprocis:* vt Gen. XLIX, 1. et alibi paſſim, נֶאֱסַף *congregari*, nempe non tam per alium, quam ex ſe ipſo, i. e. *congregare ſe*, et *in agmen coire*, Num. XVI, 21. et alibi נִבְדַּל *ſeparari*, pro *ſeparare ſe*, Gen. III, 10. וָאֵחָבֵא *et occultatus ſum*, pro, *et occultaui me*, coll. v. 8. vbi id efferebatur in Coniug. reciproca וַיִּתְחַבֵּא *et occultauit ſe*; ſic Iob. XXIX, 8. 10. נֶחְבָּאוּ *occultabant ſe*, prae verecundia; 2 Sam. XVII, 23. נֶחְנַק *ſtrangulari*, pro *ſtrangulare ſeipſum*; Exod. VII, 15. c. XXXIII, 21. cet. נִצַּב *ſtare factus eſt*, i. e. *ſtitit ſe*; Ruth. III, 8. וַיִּלָּפֵת *inflexus* ſ. *contortus eſt*, pro *inflexit* ſ. *contorſit ſeſe*; Num. XVI, 24. cet. נַעֲלָה *adſcendere factus* ſ. *ſubductus eſt*,

pro *ſubduxit ſeſe*; Gen. XIII, 9. 14. נִפְרַד *ſeparari*, pro, *ſeparare ſe*, ſeu *ſecedere*; Ex. XXXII, 1. נִקְהַל *congregari*, pro, *congregare ſe*; Num. XVII, 10. נֵרֹם *ſubduci* ſ. *ſemoueri*, pro, *ſubducere* ſ. *ſemoueve ſeipſum*; et 2 Sam. XX, 10. נִשְׁמַר *cuſtodiri*, pro, *cuſtodire ſe* ſiue *cauere ſibi*. Idem apud Syros obtinere, oſtendunt exempla a Praeſide in Syriaſmo p. 130. adlata: quibus velut ἐπίμετρον adiungimus, ܐܬܟܦܦ *incuruari*, pro *incuruare ſe* Marc. I, 7. ܐܬܕܒܪ *duci*, pro, *ducere ſeipſum* ſeu *conuerſari* Act. XXIII, 1. ܐܬܛܝܒ *parari*, pro, *parare ſe* Act. XXI, 15 1 Cor. XIV, 8. ܐܬܛܫܝ *occultari*, pro *occultare ſe* Ioh. VIII, 59. ܐܬܒܗܬ idem, indeque pro *verecundari* Luc. II, 2. 4. c. XX, 13. ܐܬܟܢܫ *congregari*, pro, *congregare ſe* Matth. XIII, 2. ܐܬܡܟܟ *humiliari*, pro, *humiliare ſe* 1 Pet. V, 6. ܐܬܪܡܝ *deiici*, pro *deiicere* vel *ſubmittere ſeſe* Gal. II, 5. 13. cet.

§. XXVIII.

Denique Verba *paſſiua* aliquando *mutuam* ſignificant *actionem*: vt Gen. XXXII, 25. 26. נֶאֱבַק *colluctari*; c. XXXIV, 15. 22. 23. Ez. XXXIII, 30. et alibi, נִדְבַּר *colloqui*; נֵאוֹת *inuicem conformari* ſ. *conſentire*; 2 Sam. XIX, 10. נִדּוֹן *diſceptare*, proprie *iudicari*, deinde *iudicio ſiſti cum alio*; paſſim quoque נִשְׁפַּט διακρίνεσθαι idem; pariter Eſa. I, 8. נוֹכַח *argui*, *arguere inuicem*, indeque *diſceptare inter ſe*; Pſal. II, 2. et XXXI, 14. נוֹסַד *inuicem conſultare*; Eſa. XL, 14. et alibi, נוֹעַץ idem; frequentisſime autem נִלְחַם *praeliari*, qs. *deuorari*, *deuorare ſe*, et *deuorare ſe inuicem*, quod fit praeliando et belligerando; Ex. II, 13. et alibi, נִצָּה *iurgari*, *contendere inuicem*; Gen. XXX, 8. נִפְתַּל *luctari*, *colluctari*, qs. *contorquere ſe inuicem*. Nec deſunt apud Syros huius ſignificationis exempla: vt ܐܬܟܬܫ *contundi*, pro *contundere ſe inuicem*, ſeu *praeliari*,

liari, συμβαλεῖν Luc. XIV, 31. ܐܬܟܬܫ *concertare*, συναθλεῖν Phil. I, 27. ܐܬܡܠܟ *conſultare inuicem*, συμβουλεύεσθαι Matth. XXVI, 4. Sic ܫܘܬܦ *communicare* eſt *partem dare*, at ܐܫܬܘܬܦ *communicari* eſt *partem dare et accipere*, ac adeo *communicare inuicem*.

§. XXIX.

Quod ad FLEXIONEM Verborum attinet, iuuabit ſingulares quasdam illorum formas, quae in diuerſis Coniugationibus Temporibusque apud Ebraeos occurrunt, ex Syriaſmo illuſtrare. Spectant huc 1) Adformatiua ſyllaba 3. ſing. fem. Praeteritorum ת, et in Verbis 3. rad. א vel ה ת, pro ה: vt Deut. XXXII, 36. אזלת pro אזלה *abiit*, Ez. XLVI, 17. שבת pro שבה *reuertit*, Eſa. VII, 14. וקראת pro וקראה *et vocabit*, Ier. XLIV, 23. קראת pro קרתה *euenit*, Leu. XXV, 21. עשת pro עשתה *fecit*, Pſal. CXVIII, 23. נפלאת pro נפלאה, Gen. XXXIII, 11. הבאת pro הובאה *adducta eſt*, Ezech. XXIV, 12. הלאת pro הלאתה *fatigauit*, Ier. XIII, 19. הגלת pro הגלתה *deportata eſt*, et 2 Reg. IX, 37. הית ſecundum *Ctbib*, pro היתה *fuit* ſec. *Kri*. Quae formae omnes ſyriſſant ad inſtar ܩܛܠܬ *interfecit*, ܩܪܬ *vocauit*, ܪܒܬ *creuit*: idque adeo vt Syri tertiam ſing. fem. Praeteriti nunquam aliter, quam ſub his formis exprimant. Ceterum Cl. SCHVLTENSIVS in *Inſtitutt. ad fundamenta linguae Ebr.* p. 78. huc quoque refert Gen. XX, 16. ונכחת *et corripiebatur*, Eſa XXIII, 15. ונשכחת *et obliuioni dabitur*; quae tamen ambigua ſunt ſaltem, ac vt Participia aeque facile reſoluuntur. 2) Secunda Sing. fem. Praeteritorum ſub forma תִי vel תי cum *Iod* otiante, quanquam in ſolo *Ctbib*: vt Ier. III, 4. קראתי *vocauiſti*, et v. 5. דברתי *loquuta es*, c. XXXI, 21. הלכתי *ambulauiſti*, praeter alia multa, apud MATTH. HILLERVM de *Arcano Keri et Kethib* p. 380—386. a curioſis lectoribus

bus reperienda. Quin et ſecundum aliquos huc trahitur תִּי cum Iod quieſcente praeuia vocali *Chirek*, Ier. II, 20. שָׁבַרְתִּי et נִתַּקְתִּי, itemque Zach. IX, 11. שִׁלַּחְתִּי; quae proin non *fregi*, *auulſi*, *emiſi*, ſed *fregiſti*, *auulſiſti*, *emiſiſti*, explicant: praeter rem tamen; cum quae ſecundum regulam in prima perſona exponi commode poſſunt, non debeant per anomaliam reddi in ſecunda. Ante Suffixa vero ſyriſſantem formam תִּי vel תְּי aliquando concipiendam eſſe, docent exempla: Ier. XV, 10. יְלִדְתִּנִי *peperiſti me*, mater mea; Iud. XI, 35. הִכְרַעְתִּנִי *incuruauiſti me*, filia mea; Ier. II, 34. מְצָאתִים *deprehendiſti eos;* Ex. II, 10. מְשִׁיתִהוּ *extraxiſti eum;* Ez. XVI, 58. נְשָׂאתִים *portauiſti ea;* ibid. v. 19. וּנְתַתִּיהוּ *et dediſti illud.* Dicimus, *aliquando:* quia dantur contraria et Ebraico idiomati (vt videtur) magis analoga exempla: 2 Sam. XIV, 10. וַהֲבֵאתוֹ *et adduces eum;* Ier. II, 27. יְלִדְתָּנוּ *peperiſti nos;* Ioſ. II, 18. הוֹרַדְתֵּנוּ *demiſiſti nos;* v. 17. 20. et Cant. V, 9. הִשְׁבַּעְתָּנוּ *adiuraſti nos.* Syris vero illud *Iod* additum in 2. perſ. ſing. fem. Praeteritorum ita ſuetum eſt, v. g. non ſolum in ipſis his vltimo loco commemoratis exemplis in ſtatu affixo, ܝܶܠܶܕܬܺܝܢܝ *peperiſti me*, ܐܰܚܶܬܬܺܝܢ *demiſiſti nos*, ܐܰܘܡܺܝܬܺܝܢ *adiurauiſti nos*; verum alias quoque et abſolute, v. g. Luc. I, 30. ܐܶܫܟܰܚܬܝ *inueniſti*, Iud. XI, 35. ܗܘܰܝܬܝ *fuiſti*, Ez. XVI, 17. ſqq. ܥܒܰܕܬܝ *feciſti*, ܢܣܰܒܬܝ *accepiſti*, ܟܣܺܝܬܝ *texiſti*, ܣܳܡܬܝ *poſuiſti* eet. vt exemplum, in quo Syri morem hunc ſuum migrent, nobis non occurrerit. 3) *Iod* afformatiuum in 3. perſ. ſing. fem. Futurorum: cuius vnicum tantummodo forte ſuppetit in ſacro Codice exemplum, Ier. III, 6. וַתִּזְנִי pro וַתִּזֶן vel וַתִּזְנָה *et ſcortata eſt*, apud Syros vero haec frequens ſatis paragoge, coll. Praeſidis Syriaſmo p. 41. s) 4) In Verbis 3. rad. ה, Coniugatio Hiphil per י loco ה in Praeterito terminata:

Eſa.

Eſa. LIII, 10. הֶחֱלִי *infirmauit*, pluraliterque Ioſ. XIV, 8. הִמְסִיו pro הִמְסוּ *liquefecerunt*: plane vt Syris Verba 3. rad. א, quae Ebraeorum Verbis 3. rad. ה reſpondent, in 1. Coniugatione aliquando, in reliquis vero Coniugationibus ſemper, 3. perſonam Singularis in ـِي, Pluralis vero in ـِيو terminant; Luc. XXIII, 5. ܚܕܝ *gauiſus eſt*; Matth. II, 10. ܚܕܝܘ *gauiſi ſunt*; Luc. XII, 19. ܐܫܬܝܘ *biberunt*, Luc. XXI, 4. ܐܪܡܝܘ *iecerunt*; Apoc. XIX, 20. ܐܬܪܡܝܘ *proiecti ſunt.* 5) 1. rad. א in Hiphil aliquando ad inſtar 1. rad. י flexa; vt Ier. XLVI, 8. אֹבִידָה pro אַאֲבִידָה *perdam*; et ſec. aliquos 1 Sam. XIV, 24. וַיֹּאֶל pro וַיַּאֲלֶה *et adiurauit*; Neh. XIII, 13. וָאוֹצְרָה pro וָאַאֲצְרָה *et theſaurarios feci*: quod in his Verbis apud Syros perpetuum fere eſt, coll. Praeſidis Syriaſmo p. 49. e). Item 6) א loco ה praeformatiui in Hiphil et Hithpael; vt Eſa. LXIII, 3. אֶגְאָלְתִּי pro הִגְאַלְתִּי *foedaui*, Ier. XXV, 3. אַשְׁכֵּים pro הַשְׁכֵּים *matutinare*, 2 Par. XX, 35. אֶתְחַבַּר *ſociauit ſe*, Pſal. LXXVI, 6. אֶשְׁתּוֹלְלוּ pro הִשְׁתּוֹלְלוּ *ſpoliati ſunt*; quod et ipſum Syris in perpetuo vſu eſt, ita vt pro Ebraeo הִפְקִיד dicant ܐܦܩܕ, et pro הִתְפַּקֵּד, ܐܬܦܩܕ. 7) *Tſere* vel *Chirek* ſub med. rad. in Hiphil ante incrementum finale in *Schua* tranſiens; vt 1 Sam. XIV, 22. וַיַּדְבְּקוּ pro וַיַּדְבִּיקוּ *et perſecuti ſunt*, Ier. IX, 2. וַיַּדְרְכוּ pro וַיַּדְרִיכוּ *et tetenderunt*, c. XXIX, 8. מַחְלְמִים pro מַחְלִימִים *ſomniari facientes*, 2 Par. XXIIX, 23. מַעְזְרִים pro מַעְזִירִים *adiuuantes*, Pſal. LXV, 10. תַּעְשְׁרֶנָּה pro תַּעְשִׁירֶנָּה *ditas eam*, et 1 Sam. XVII, 25. יַעְשְׁרֶנּוּ pro יַעְשִׁירֶנּוּ *ditabit eum.* Quomodo Syri conſtanter nec aliter ſuum Aphel, quod Hebraico Hiphil reſpondet, flectunt. 8) *Patach* pro *Chirek* ſub 1. rad. in Praeterito Piel; vt Gen. XLI, 51. נַשַּׁנִי pro נִשַּׁנִי *obliuiſci me fecit*, Num. XXIV, 17.

 קַרְקַר

קִרְקַר pro קַרְקַר *deſtruxit*, Iob. XV, 32. רַעֲנְנָה pro רַעֲנָנָה *viruit*, Ier. XXX, 10. cet. שַׁאֲנַן pro שַׁאֲנָן *tranquillus fuit*, Iob. XXVI, 9. פַּרְשֵׁז pro פָּרַשׂ *expandit:* nempe vt Syri pro פָּקַד, קָטַל, תַּרְגֵּם, ordinarie ܦܩܶܕ, ܩܛܰܠ, ܬܰܪܓܶܡ dicunt. Denique 9) ſingularisſimum exemplum 2 Sam. XXII, 27. תִּתָּבָר *purum te praeſtas*, pro quo in parallelo Pſal. XVIII, 27. in Hithpael legitur תִּתְבָּרָר, ad Syrorum *Ettaphal* referri non incommode poteſt, vt, quemadmodum Syri ab ܐܰܘܣܶܦ *addidit*, et ܐܰܪܡܺܝ *deiecit*, formant paſsiua ܐܶܬܬܰܘܣܰܦ *additus eſt*, et ܐܶܬܬܰܪܡܺܝ *deiectus eſt*, et ad eorum exemplum Rabbini הִתּוֹסַף ab הוֹסִיף, ita et תִּתָּבָר ſit pro תִּתְהַבָּר vel תִּתְאַבָּר a בָּרַר *purus fuit*.

§. XXX.

Ad NOMEN, ceu alteram orationis partem, nunc accedentes, primo id ratione FORMAE ex Syriaſmo illuſtrabimus. Sunt autem Nominum formae hanc in partem notabiles, quae, ſiue in adpellatiuis ſiue in propriis, poſt *Kamets* ſub 1. rad. et in propriis quibusdam ſub prima littera quacunque, implicant א quieſcens: vt in maſculinis, iisque tum adpellatiuis, a) סָבָאִים *potatores*, aliis *Sabaei*, Ez. XXIII, 42. קָדָשִׁים *conſecrata*, שָׁרָשִׁים *radices;* quae non ſunt formae דָּבָר *verbum*, plur. דְּבָרִים *verba*, ſed qs. סָאבָא, קָאדָשׁ, שָׁארָשׁ, et haec, ſi placet, pro סַבָּא, קַדָּשׁ, שַׁרָּשׁ: item b) שָׂהֵד, vnde Iob. XVI, 19. שָׂהֲדִי *teſtis meus*, qs. pro שָׂאהֵד; דֹּבֶר, vnde Mich. II, 12. בְּתוֹךְ הַדָּבְרוֹ *in medio caulae ſ. paſcui ſui*, qs. pro דֹּאבֶר; דָּלְיָה, vnde Num. XXIV, 7. מִדָּלְיָו *de ſitulis eius*, יָשְׁפֵה *Iaſpis*, qs. a דָּאלְיָה, יָאשְׁפֵה, et in propriis אָבֵל 1 Reg. XV, 20. 2 Reg. XV, 29. 2 Par. XVI, 4. cet. יָבֵשׁ Iud. XXI, 8. כָּלֵב 1 Par. II, 24.

II, 24. שָׂוֶה Gen. V, 17. קָדֵשׁ Num. XXXIV, 4. בַּרַכְאֵל Iob. XXXII, 2. 6. et כָּנַנְיָהוּ 2 Par. XXXI, 12. 13. כָּסִפְיָא Eſr. VIII, 7. gentilitiisque אֲשֵׁרִי *Aſerita* Iud. I, 32. כָּלִבִּי *Calebita* 1 Sam. XXV, 3. c) femininis item אָלָה *exſecratio*, vnde Deut. XXIX, 21. אָלוֹת הַבְּרִית *exſecrationes foederis*, Ez. XVII, 16. אָלָתוֹ *exſecrationem eius*; aliquando et הָרָה, vnde 2 Reg. VIII, 12. הָרֹתֵיהֶם *grauidas eorum*, et c. XV, 14. הֶהָרוֹתֶיהָ *grauidas eius*; יָפָה, vnde Cant. II, 10. 13. יָפָתִי *pulchra mea*; מָנָה, vnde Eſth. II, 9. מָנוֹתֶהָ *portiones eius*; et תְּעָלָה, vnde Eſa. VII, 3. תְּעָלַת הַבְּרֵכָה *aquaeductus piſcinae*, et Ez. XXXI, 4. תְּעָלֹתֶיהָ *aquaeductus ſuos*; d) porro in שָׁלִישׁ vel שָׁלִישִׁי *tribunus* 2 Sam. XXIII, 8. vnde שָׁלִשִׁים *tribuni* et שָׁלִשָׁיו *tribuni eius*, Kamets vbique manente; nec non e) in femininis דָּלִיּוֹת *palmites*, הָרִיּוֹת *grauidae* Hoſ. XIV, 1. זָוִיּוֹת *anguli* Zach. IX, 15. Pſal. CXLIV, 12. f) propriisque gentilitiis יָאִירִי *Iairita*, יָכִינִי *Iachinita*, יָמִינִי *Iaminita*, et מָכִירִי *Machirita*, 2 Sam. XX, 26. Num. XXVI, 12. 29. Item g) in בָּחוֹן *probator* Ier. VI, 27. (forte et יָקוֹשׁ *auceps* Hoſ. IX, 8. qui יוֹקֵשׁ Pſ. CXXIV, 7. et עָשׁוֹק *oppreſſor* Ier. XXII, 3. qui c. XXI, 12. עוֹשֵׁק dicitur,) עָשׂוֹר *dies decimus* Ex. XII, 3. quidni et in קָבָלוֹ *aduerſa eius pars* Ez. XXVI, 9. et קָטָנִּי *minimus meus* digitus 2 Par. X, 10. concipiendis abſolute קָבָל et קָטָן? proprioque עָכוֹר qs. *turbator*, a quo dicta עֵמֶק עָכוֹר *vallis turbatoris* Ioſ. VII, 24. 26. i. e. *Achanis* עוֹכֵר יִשְׂרָאֵל *turbatoris Iſraelis* 1 Par. II, 7. et in feminino בָּגוֹדָה *perfida*; porro h) in שָׁבוּעַ *hebdomas* Dan. IX, 27. vnde Pl. שָׁבֻעִים vel שָׁבֻעוֹת *hebdomades*, v. 24. 25. et cum Suffixo בְּשָׁבֻעֹתֵיכֶם *in hebdomadibus veſtris*

Num. XXVIII, 26. i) femininisque בָּרוּת *cibus*, vnde Pſal. LXIX, 22. בְּבָרוּתִי *in cibo meo;* גָּלוּת *migratio*, etiam in regimine 2 Reg. XXV, 27. et cum Suffixo גָּלוּתִי *migratio mea;* הָגוּת *meditatio*, etiam in regimine Pſal. XLIX, 4. חָזוּת *viſio*, cum Suffixo חָזוּתְכֶם *viſio veſtra;* ac denique in propriis gentilitiis, חָמוּלִי *Chamulita* Num. XXVI, 61. et יָשׁוּבִי *Iaſchubita* ibid. v. 24. Quae omnia, ſi tum ex ſignificatione ſua, tum ex inuariabilitate vocalis *Kamets* ſpectentur, differre cenſebuntur a conſimilibus (vt quidem videri posſint) formis, in quibus Kamets purum et variabile eſt, דָּבָר *verbum*, עָצֵל *piger*, קָשָׁה *dura*, תִּפְאָרָה *ornatus*, שָׂכִיר *mercenarius*, יְוָנִי *Graecus*, גָּדוֹל *magnus*, לָמוּד *adſuetus*, חָנוּת *taberna*, אָשׁוּרִי *Aſerita.* Hoc autem intelligetur magis, ſi Chaldaicas, Syriacas Arabicasque Nominum formas iſtis reſpondentes, in quibus itidem *Kamets* et *Zekopho* impurum, quin *Phatha* cum explicito *Eliph* quieſcente eſt, comparaueris: vt ſunt Chald. אָשַׁף *magus*, גָּזַר *aſtrologus*, יָעֵט *conſiliarius*, כָּהֵן *ſacerdos*, cet. Syr. ܐܳܣܝܳܐ *medicus*, ܕܰܘܝܳܐ *miſer*, ܟܽܘܡܪܳܐ *ſacerdos*, ܡܳܪܝܳܐ *dominus*, ܣܳܦܪܳܐ *ſcriba*, Arab. بَاطِلٌ *vanus*, بَاطِنٌ *internus*, مَالِكٌ *rex*, نَاصِرٌ *adiutor*, شَاهِدٌ *teſtis;* item, ܫܳܥܳܐ emph. ܫܳܥܬܳܐ *hora;* nec non ܫܳܡܺܝܪ emph. ܫܳܡܺܝܪܳܐ, Chald. שְׁמִירָא, i. q. Ebr. שָׁמִיר genus lapidis, ܫܳܝܫܳܐ, emph. ܫܳܝܫܬܳܐ *alabaſtrum;* porro ܙܳܘܺܝܬ *angulus*, ܩܳܪܺܝܬ *trabs*, ܫܳܪܺܝܬ *iunctura*, Pl. ܙܳܘܝܳܢ, ܩܳܪܝܳܢ, ܫܳܪܝܳܢ; porro Chald. בָּזוֹז *praedator*, בָּלוֹשׁ *ſcrutator*, חָטוֹף *raptor*, כָּרוֹז *praeco*, קָטוֹל *interfector*, קָטוֹעַ *caeſor*, קָטוֹף *vindemiator*, pluraliter בָּזוֹזִין, בָּלוֹשִׁין, חָטוֹפִין, כָּרוֹזִין, קָטוֹלִין, קָטוֹפִין, קָטוֹעִין, Syr. ܛܳܠܽܘܡ *oppreſſor*, ܒܳܚܽܘܪ *probator*, ܒܳܪܽܘܝ *creator,*

tor, ܚܵܛܘܿܦܵܐ *raptor*, ܝܵܕܘܿܥ *familiaris*, qs. *cognitor*, ܟܵܪܘܿܙ *praeco*, ܥܵܒܘܿܕ *opifex*, ܥܵܘܘܿܠ *iniquus*, ܥܵܡܘܿܪ *habitator*, ܪܵܕܘܿܝ *inſtitutor*, ܫܵܡܘܿܥ *auditor*, emphatice ܥܵܒܘܿܕܵܐ, ܟܵܪܘܿܙܵܐ, ܚܵܛܘܿܦܵܐ, ܝܵܕܘܿܥܵܐ, ܥܵܘܘܿܠܵܐ, ܥܵܡܘܿܪܵܐ, ܪܵܕܘܿܝܵܐ, ܫܵܡܘܿܥܵܐ, Arab. أَكُول *vorax*, بَاكُور *pluuia primi veris*. جَاسُوس *explorator*, كَارُوز *praeco*, نَاطُور vel نَاطُور *cuſtos*, قَاتُول *homicida*, قَاشُور *excoriator*, تَاسُوعَاء *dies nona*, عَاشُورَاء *dies decima*; denique Chald. et Syr. בְּעוּ ܒܥܘܼ *petitio*, גְּלוּ *migratio*, זְכוּ ܙܟܘܼ *iuſtitia* vel *victoria*, emph. בָּעוּתָא ܒܥܘܼܬܵܐ, גָּלוּתָא, זָכוּתָא, ܙܟܘܼܬܵܐ, manente prima vocali, vtpote impura.

§. XXXI.

Ad notabiliores Nominum Ebraicorum *formas* pertinent illae, quae ſub media radicali *Kamets impurum* ac inuariabile habent, praeuio *Schua*; idque tum in maſculinis, tum in femininis; et cum his tum illis ſiue adpellatiuis ſiue propriis. Vt ſunt ex maſculinis adpellatiuis אֲדָר nomen menſis duodecimi, אֱיָל *robur*, אֲנָךְ *perpendiculum*, אֱסָר *vinculum*, גְּדִי *haedus*, יְהָב *onus*, יְעָף *celeritas*, יְקָר *gloria*, *ſplendor*, כְּתָב *ſcriptum*, סְפָר *recenſio*, סְתָו *hiems*, עֲבָד *opus*, עֲיָם *impetus*, עֲנָק *torquis*, קְפָד *excidium*, קְרָב *praelium*, שְׁאָט *impetus* ſ. *impulſio*, שְׁאָר *reſiduum*, שְׁבָט nomen menſis vndecimi, שְׂלָו *coturnix* ſ. ὀρτυγομήτρα, שְׂרָד *textura*; probabiliter et וָו pro אֲוָו *vncinus*, pro connectendis et ſuſpendendis velis, et littera *Vau*, quae aliis vocibus praefixa ſignificat copulatiuum *et*, ab אָוָה Ebr *deſiderauit*, Arab. *coniunxit*, *congregauit*, quia qui deſiderat, coniungi cum re deſiderata cupit, et חֲטָא *peccatum*. In quibus *Kamets* implicitam habere quieſcentem litteram Aleph, liquet cum ex inuariabilitate eius in ſtatu conſtructo, et ante Suf-

ſixa grauia, v. g. Gen. XXVII, 9. 16. גְּדָיֵי עִזִּים *baedi caprarum*; Eſth. I, 4. אֶת־יְקָר תִּפְאֶרֶת גְּדוּלָּתוֹ *gloriam decoris maieſtatis ſuae*; Eſth. XIII, 9. בִּכְתָב בֵּית יִשְׂרָאֵל *in ſcripto domus Iſraelis*; Coh. IX, 1. עֲבָדֵיהֶם *opera illorum*; Eſa. XI, 15. בַּעְיָם רוּחוֹ *in vehementia ſpiraculi ſui*; Ez. XXXVI, 5. בִּשְׁאָט נֶפֶשׁ *cum impetu animae*; Eſa. X, 20. שְׁאָר יִשְׂרָאֵל *reſiduum Iſraelis*; Ex. XXVII, 10. 11. וָוֵי הָעַמּוּדִים *vncini columnarum*, v. 17. וָוֵיהֶם *vncini illarum*, 2 Reg. X, 29. חֲטָאֵי יָרָבְעָם *peccata Iarobeami*, et Eſa. I, 18. חֲטָאֵיכֶם *peccata veſtra*; tum ex orthographia Arabica, qua א poſt vocalem A in his formis explicite ponitur, vt آذَارُ *Adar* menſis, إِسَارٌ *vinculum*, كِتَابٌ *liber*, سُبَاطُ vel شُبَاطُ *Schebat* menſis; tum vero ex harmonia Syriaſmi, in quo vocalis *Zekopho*, reſpondens Ebraeorum *Kamets* impuro, impurum et ipſum in his formis ac inuariabile eſt, coll. Praeſidis Gramm. Syr. p. 15. et p. 91. vt ܥܘܫܢܐ *impetus*, ܓܙܪܐ *grex*, ܫܘܠܡܐ *conſummatio*, ܩܠܦܬܐ *hydria*, ܕܪܥܐ *brachium*, ܕܪܫܐ *diſputatio*, ܙܡܪܐ *cantus*, ܚܙܘܐ *viſus*, ܟܬܒܐ *liber*, ܥܢܢܐ *nubes*, ܩܝܡܐ *foedus*, ܫܪܓܐ *lucerna*. In eodem cenſu et propria ſunt: אֲגָג, אֲמָם, כְּבָר, סְפָר, aliaque plura, quae a Cel. IO. SIMONIS in *Onomaſt. S.* p. 105. diligenter congeſta ſunt. Pertinent huc et aliqua ab initio aucta; vt מַכָּר *notus*, ex נכר, vnde 2 Reg. XII, 8. מֵאֵת מַכָּרֵיכֶם *a notis veſtris*; מַעֲבָד *opus*, vnde Iob. XXXIV, 25. מַעְבָּדֵיהֶם *opera illorum*: itemque grauia, ſiue mediam radicis geminantia; vt אִכָּר *agricola*, אַשָּׁף *aſtrologus*, גַּלָּב *tonſor*, et cetera, quae Vir modo laudatus congesſit l. c. pag. 425. ſqq. vnde Eſa. LXI, 5. אִכָּרֵיכֶם *agricolae veſtri*, manente *Kamets*; Amos. IX, 10.

חַטָּאֵי

חטאי *peccatores*; 2 Sam. V, 11. חרשי *fabri*; Ier. XXVII, 9. כשפיכם *praeſtigiatores veſtri*; Ez. XXVII, 9. מלחיהם *nautae illarum*; quae idcirco apud Arabes cum explicito א ſcribuntur quieſcente, apud Syros vero per O inuariabile, vt أكّار, ܐܟܪ *agricola*, ملّاح vel فلّاح ܡܠܚܐ *nauta*, نجّار, ܢܓܪܐ *faber lignarius*, صيّاد, ܨܝܕܐ *venator*, *piſcator*, cet. Ex femininis locum heic habent Nomina a Verbis 3. rad. ה quieſcentis deducta, eaque monoſyllaba, in fine per ת aucta, vt ſunt ex adpellatiuis דת *lex*, pro ידת, (ex ידה *iecit*, vt Latini dicunt *iacere verba*, *voces*, *ſermonem*, quin et *iacere fundamenta*, quia ciuitatum fundamenta ſunt *leges*.) מנת *portio*, קצת *finis* vel *pars*, itemque כנת *collega*; ex propriis vero חמת Num. XIII, 31. ענת Iud. I, 33. פרת Gen. II, 14. קהת Gen. XLVI, 11. קנת Num. XXXII, 42. forte et צפתה cum ה paragog. 2 Par. XIV, 9. quae concipienda ſunt velut ex plenioribus formis דאת, מנאת, קצאת, כנאת, חמאת, ענאת, פראת, קהאת, קנאת, צפאת, hae vero vel ex saegolatis דאת, מנאת, קצאת, כנאת, חמאת, ענאת, פראת, קהאת, צפאת, vel ex imitantibus formam conſtructorum, דאת, מנאת, קצאת, כנאת, חמאת, ענאת, פראת, צפאת, ac hae porro ex originariis דאה, מנאה, קצאה, כנאה, חמאה, ענאה, פראה, קהאה, צפאה, et ita quidem, vt hae formae femininae deductae ſint ex maſculinis modo dictis monoſyllabis Kamets impurum habentibus, v. g. מנה vel מנתה ex מנא, vel, quia iſtae maſculinae formae tertiam radicis ex quieſcente in mobilem ו vel י conuertere ſolent, מנו vel מני. Hinc illud ſuum Kamets tum in augmento finali, tum in regimine retinent: vt Eſth. IX, 13. כדת היום *ſecundum legem huius diei*;

c. III.

c. III, 8. דָּתֵי הַמֶּלֶךְ *leges regis*, וְדָתֵיהֶם *et leges eorum;* Pſal. XI, 6. מְנָת כּוֹסָם *portio calicis eorum;* Neh. XII, 44. מְנָאוֹת הַתּוֹרָה *portiones legis;* c. XIII, 10. מְנָיוֹת הַלְוִיִּם *portiones Leuitarum;* Dan. I, 15. 18. מִקְצָת יָמִים *a fine dierum;* Eſdr. IV, 7. כְּנָוֺתָיו *collegae eius.* Formam ipſam, et vocalis in ea inuariabilitatem, egregie illuſtrat Syriaſmus, in quo parallelam habentia formam nomina, ܒܟܬܐ *fletus*, ܒܥܬܐ *quaeſtio*, ܩܥܬܐ *clamor*, ܟܢܬܐ *collega*, ܟܦܬܐ *pollex*, ܡܢܬܐ *portio*, ܥܠܬܐ *holocauſtum*, cet. et in regimine et in emphatico ſtatu ſingulari vocalem *Zekopho* inuariatam ſeruant, in Plurali vero habent formam Ebraicae ſimilem ܒܟܘ̈ܬܐ, ܟܦܘ̈ܬܐ, ܥܠܘ̈ܬܐ cet. ܡܢܬܐ vero ſpeciatim ſub terminatione maſculina ܡ̈ܢܬܢ Tit. III, 9. plane vt Ebr. דָּת, non obſtante, quod femininum ſit, tamen in Plurali דָּתִים terminatur vt maſculinum. Addimus his אֱיָלוּת *robur*, quod et ipſum vocalem *Kamets* in augmento finali ante Suffixum retinet in אֱיָלוּתִי *robur meum* Pſal. XXI, 20. cum ceteroqui terminatio וּת praeuiam vocalem, ſi pura ſit, abſorbere ſoleat: cui pariter apud Syros ܒܥܠܕܒܒܘܬܐ *inimicitia* prorſus parallelum eſt. Inde vero ſimul conſit, אַלְמְנוּת, quod ante Suffixa et in regimine occurrit 2 Sam. XX, 3. Gen. XXXVIII, 14. 19. etiam in abſoluto ſtatu rectius ita, quam אַלְמָנוּת, concipi: ſed et adformatiuum ן in אַלְמָן *viduus*, et אַלְמָנָה *vidua*, purum ac variabile eſſe, liquet tum ex formis per Suffixa auctis אַלְמְנוֹתֶיךָ Ier. XLIX, 11. אַלְמְנוֹתָיו Eſa. IX, 17. אַלְמְנוֹתֶיהָ Ezech. XXII, 25. tum ex harmonia linguae Syriacae, in qua vidua non ܐܪܡܠܬ, emph. ܐܪܡܠܬܐ, ſed ܐܪܡܠܬ emphatice ܐܪܡܠܬܐ effertur Marc. XII, 42.

§. XXXII.

§. XXXII.

Sunt Nomina Ebraeis, quae aut explicite per הֶ vel הֵ augentur, vt אַרְיֵה *leo*, אִשֶּׁה *incenſum*, יָשְׁפֵה *Iaſpis*, לִבְנֶה *ſtirax*, עֻלְפֶּה *languidus*, עֶשְׂרֵה *decem*, שְׁמֹנֶה *octo*, תָּפְתֶּה *execrabilis locus*, alias *Topheth*, vel ſec. Ionath. *gehenna*, Eſa. XXX, 33. aut ſi defectiua ſunt, et pluralia tantum, in Singulari per analogiam flexionis concipi debent vt aucta per הֶ vel הֵ; vt אֳפָנִים, vnde Prou. XXV, 11. *verbum dictum* עַל אָפְנָיו *in opportunitatibus* vel *modis ſuis;* בָּטְנִים *piſtacia*, Gen. XLIII, 11. דָּלְיִם, vnde Num. XXIV, 7. מִדָּלְיָו *de ſitulis eius;* הָבְנִים ligna *ebena* Ez. XXVII, 15. פִּשְׁתִּים *lina;* non ab ſingularibus אֹפֶן, בֹּטֶן, דָּלֶה, הֹבֶן, פֶּשֶׁת (quia ſic flectenda fuiſſent אפנים, cum ſuffixo אפניו, בטנים, דלים, cum ſuffixo et praefixo מדליו, הבנים, פשתים) ſed ab אפנה, בטנה, דליה, vel דליה, הבנה, פשתה, a quo et cum ſuffixo dici videdetur פִּשְׁתִּי *linum meum* Hoſ. II, 7. 11. alias פִּשְׁתָּה. Forte et אַשְׁרָה *beatitudo*, et תַּחְתָּה *inferioritas* ſ. *infra*, pluraliter cum ſuffixis אַשְׁרֶיךָ, אַשְׁרָיו; תַּחְתַּי, תַּחְתֶּיךָ cet. quia ſi abſoluta eſſent אֶשֶׁר et תַּחַת, flectenda fuiſſent אשריך, אשריו, תחתי, תחתיך cet. quo admiſſo, facilius etiam reſoluentur anomala viſa, Coh. X, 17. אַשְׁרֵיךְ *beatam te!* et Prou. XXIX, 18. אַשְׁרֵהוּ *beatum illum!* vtpote quae ſingularia erunt, ab אַשְׁרָה, ad inſtar וּמַרְאֵיךְ *et adſpectus tuus* Cant. II, 14. et מַרְאֵהוּ *adſpectus eius* Leu. XIII, 30. Tale eſt quoque Chald. נִדְנֶה *corpus* Dan. VII, 15. Idem apud Syros obtinuiſſe, exemplis aliquot oſtendemus, dummodo fundamenti loco ſubſtrauerimus, quod Ebraeis הֶ vel הֵ, id Syris eſſe אֶ vel ־ֵ, ſeu ܐ̤ ܶ, in ſtatu emphatico ܐ. Sic igitur Syri in

ſtatu emphatico dicunt ܕܘܠܡܢܝܬܐ *turba*, ܚܒܘܫܝܬܐ *carcer*, ܚܛܘܦܝܬܐ *raptus*, ܛܠܘܡܝܬܐ Chald. טְלוּמְיָא *iniuria*, ܟܢܘܫܝܬܐ *congregatio*, ܣܘܣܝܬܐ Ch. סוּסְיָא *equus*, ܠܚܘܨܝܬܐ *oppreſſio*, ܫܓܘܫܝܬܐ Ch. שְׁגוּשְׁיָא *conturbatio:* iſta vero emphatica ab abſolutis, quanquam obſoletis, concipi debent vel ܚܒܘܫܬܐ ܚܛܘܦܬܐ, ܛܠܘܡܬܐ, ܟܢܘܫܬܐ, ܣܘܣܬܐ, ܠܚܘܨܬܐ, ܫܓܘܫܬܐ; vti quidem ܫܒܝܬܐ, ܓܠܝܬܐ, ܟܘܪܣܝܬܐ, et alia eius generis plura, ſine dubio ſunt ab abſolutis ܫܒܐ *captivus*, ܓܠܐ *manifeſtus*, ܟܘܪܣܐ *ſolium:* vel ſaltem a ܚܒܘܫܝܢ, ܚܛܘܦܝܢ, ܛܠܘܡܝܢ, ܟܢܘܫܝܢ, ܣܘܣܝܢ, ܠܚܘܨܝܢ, ܫܓܘܫܝܢ; vti a ܛܥܐ *errare* eſt ܛܘܥܝܢ *error*, et a ܛܫܐ *occultauit* ܛܘܫܝܢ *occultum*, cum iſtiusmodi *Iod* afformatiuo.

§. XXXIII.

Porro Nomina Ebraica multa in fine per *Nun* augeri, vel tironibus notum eſt: eſſe autem illa, ſignificationem ſi ſpectes, *augmentatiua* et *intenſiua*, ita vt vel *actionem* et *paſſionem*, vel *quantitatem*, vel *qualitatem* intendant, id Celeb. IO. SIMONIS in praeclaro opere, quod *Arcanum formarum* inſcripſit, p. 563. ſqq. docte oſtendit. Confirmat hanc ſententiam Syriaſmus, in quo adformatiuum ܢ, Ebraico ן reſpondens, haud dubie ſignificationem intendit, indolem, mores, habitum et ingens quid notans: vt ܡܠܦܢܐ *doctor*, ܡܓܕܦܢܐ *blaſphemator*, ܡܚܝܢܐ *ſaluator*, ܡܨܥܪܢܐ *contumelioſus*, ܡܪܚܡܢܐ et ܡܪܚܡܢܐ *miſerator*, ܡܫܡܠܝܢܐ *perfectus*, qs. *perfectibabius*, ܡܫܠܡܢܐ *proditor*, ܡܫܬܡܥܢܐ *obediens*, qs. *obeditor*, ܡܫܡܫܢܐ *miniſter*; item ܦܓܪܢܝܐ *corporalis*, ܪܘܚܢܝܐ *ſpiritualis*, ܫܡܝܢܝܐ *caeleſtis*; et ܐܒܕܢܐ *interitus*, ܐܘܢܐ *manſio*, ܐܝܠܢܐ *arbor*, ܐܘܠܨܢܐ *adflictio*, ܒܘܚܪܢܐ *probatio*, ܕܘܘܢܐ *miſeria*, cet. ad inſtar אֲבַדֹּן vel אֲבַדָּן *interitus*, בִּיתָן *palatium*, מִגְדָּן Pl. מִגְדָּנוֹת *res pretioſae*, רַחֲמָן *miſericors* cet. Pariterque ſe res habet de adformatiuo ܘܢ, quod Ebraeo וֹן παράλληλον eſt: vt ܣܒܥܘܢ *ſatiuum*, ܝܪܩܘܢ *olus*,

olus, ܟܦܪܢܐ *pagus*, ܢܣܝܘܢܐ *tentatio*, ܣܕܘܢܐ *ſindon;* ad inſtar זֵרָעֹן *ſa-tiuum, legumen*, חִפָּזוֹן *feſtinatio*, יְשִׁימוֹן *ſolitudo*, פִּדְיוֹן *redemtio*, פְּרָזוֹן *pagus* cet. Obſtare quidem videntur ܟܬܒܘܢܐ βιβλαρίδιον *li-bellus* Apoc. X, 2. 8. 9. 10. et apud CASTELLVM in *Lex. Heptagl.* ܐܢܬܬܘܢܝܬܐ et ܐܢܬܬܘܢܬܘܢܝܬܐ *muliercula*, ܓܒܪܘܢܐ *homuncio*, ܒܪܘܢܐ et ܒܪܘܢܘܢܐ *filiolus*, ܛܠܝܘܢܐ *puerulus:* ſed iſta exempla forte ſunt nouioris aetatis, et poſteriora ſine mentione locorum, vbi repe-riantur, a CASTELLO adducta. Duo tamen ſunt, in quibus a laudato Viro diſcedimus: primo, quod negat dari Nomina ſim-plicia in fine per Nun praeuio Patach aucta, indeque שׁוֹשַׁן *lilium* 1 Reg. VII, 19. quod vnicum ſibi obſtare putabat, pro vitioſo, vel pro enallaga ſtatus conſtructi loco abſoluti habet p. 563. dein-de quod aucta in fine per ־ָן vel ־וֹן itidem non in ſimplicibus, ſed in compoſitis numerat. Quod ad prius, שׁוֹשַׁן vel שׁוּשַׁן l. c. expers vitii eſt, ex vnanimi codicum conſenſu, ſuffragante Ma-ſora, quae ad l. c. ſic habet: ב׳ למנצח וכל שושן הבירה דכו׳ *Bis occurrit vox ita ſcripta, heic et Pſal. LX, 1. inſuper ſic ſcribitur vbi-cunque ſequitur* הַבִּירָה REGIA; ac adeo duodecim inſuper in locis, Eſth. I, 2. 5. c. II, 3. 5. 8. c. III, 15. c. VIII, 14. c. IX, 6. 11. 12. Dan. VIII, 2. et Neh. I, 1. Contra per *Kamets* שׁוֹשָׁן ſcribitur nonniſi in pauſa 1 Reg. VI, 22. 26. Stat item a partibus noſtris, quod accedente finali incremento non ſcribitur per *Kamets*, vti רַחֲמָנִיּוֹת a רַחֲמָן, ſed per *Patach* שׁוֹשַׁנָּה 2 Par. IV, 8. conſtr. שׁוֹשַׁנַּת Cant. II, 1. plur. שׁוֹשַׁנִּים ibid. v. 16. et quod Syris id formatur, non ܫܘܫܢܐ, plur. ܫܘܫܢܐ̈, ſed ܫܘܫܢܐ vel ܫܘܫܢܐ̈ Cant. II, 1. plur. ܫܘܫܢܐ̈ Matth. VI, 28. pariterque Arabibus non سُوسَان cum interpoſito Eliph, ſed سُوسَن vel سَوْسَن 1 Reg. VI, 18. 29. In tanto exemplorum numero enallagen ſtatus con-ſtructi pro abſoluto vix admittimus. Idem ſentimus de אֶתְנַן

 (non

(non אֶתְנָן, vt Vir laudatus p. 566. ſcribit, nec אֶתְנַן, vt p. 644.) *merces*, ſpec. *meretricia*, Ez. XVI, 34. 41. Nam אֶתְנָן nonniſi in pauſa obtinet ibid. v. 31. 34. et accedente finali incremento ſcribitur per *Patach*, Eſa. XXIII, 17. 18. אֶתְנַנָּהּ, Mich. I, 7. אֶתְנַנֶּיהָ. Ad quorum exemplorum analogiam malumus et אוֹפַן *rota* (ſic enim extra pauſam 1 Reg. VII, 32. Ez. I, 16. 17. c. X, 10. אוֹפָן vero non niſi in pauſa ſcribitur) pro aucto, quam pro nudo habere, et id potius ab אוף, a quo אֵיפָה *modius*, (vtpote et ipſe non minus rotundum quid quam *rota*) quam vel ab אפן vel a פָּנָה deducere: inprimis cum in vocis incremento non אוֹפָנִּים, ad inſtar כּוֹכָבִים, ſed אוֹפַנִּים ſcribatur. Quin et אַשְׁמַנִּים, אַחֲרַנִּית, חַרְצַנִּים, חַשְׁמַנִּים, קַדְרַנִּית, eadem de cauſſa rectius forte concipiuntur formata ab אַחֲרַן, אַשְׁמַן, חַרְצַן, חַשְׁמַן, קַדְרַן, quam ab אַחֲרֹן, אַשְׁמָן, חַרְצָן, חַשְׁמָן, קַדְרֹן. Quod vero ad alterum monitorum noſtrorum, לִוְיָתָן *crocodilus*, נְחֻשְׁתָּן *aeneus* ſerpens 2 Reg. XVIII, 4. עֲקַלָּתוֹן *tortuoſus* Eſa. XXVII, 1. et ex propriis אֶשְׁתּוֹן 1 Par. IV, 11. 12. צָרְתָן Ioſ. III, 16. גִּבְּתוֹן c. XIX, 44. גִּנְּתוֹן Neh. X, 7. חַנָּתוֹן Ioſ. XIX, 14. et פִּרְעָתוֹן Iud. XII, 15. quae Vir Celeb. tum in *Arcano formarum* tum in *Onomaſtico S.* (ſi poſtrema duo exceperis) pro compoſitis habet, nobis ſimplicia ſunt, deducta a לִוְיָה, נְחֻשֶׁת, עֲקַלָּה, אֵשֶׁת, צָרַת, גִּבַּת, גִּנַּת, חַנָּה, et פִּרְעָה; neque id maiore difficultate, quam vel Chaldaica vel Syriaca, אֵמְתָן vel אֵימְתָן *terribilis*, גֵּיוְתָן ܪܘܡܬܢܐ *excelſus*, ܕܚܘܠܬܢܐ *timidus*, זִיוְתָן *ſplendidus*, זְמָתָן *moliminoſus*, ܚܝܠܬܢܐ *validus*, חֵמְתָן ܚܡܬܢܐ *iracundus*, ܛܘܒܬܢܐ *beatus*, ܢܟܘܠܬܢܐ *doloſus*, עִנְוְתָן *humilis*, שָׂכְלְתָן vel סָכְלְתָן ܣܘܟܠܬܢܐ *prudens*, ܢܟܝܠܬܢܐ *aſtutus*, ܩܪܒܬܢܐ *praeliator*,

liator, ܡܪܚܡܢܐ *miſericors*, et apud Talmudicos, כַּרְסְתָן *ventroſus*, פַּרְסְתָן *vnguloſus.* Indidem forte et propria קַרְתָּן Ioſ. XXI, 32. a קֶרֶת *vrbs*, et תַּרְתָּן 2 Reg. XVIII, 17. a תֶּרֶת i. q. יֶתֶרֶה *excellentia*, illuſtrari potuerint. Nempe quod poſt Nomina nuda et maſculina erat augmentum ן֫ et וֹן, idem poſt Nomina a femininis et per ה vel ת auctis deducta eſt תָן vel תוֹן.

§. XXXIV.

Sapiunt item Syriſmum *formae* Nominum actiuorum verbalium, quae ex Infinitiuis Coniugationum Piel, Hiphil et Hithpael deducta, Kamets penultimum habent inuariabile: vt ex Piel, בַּקָּרָה *inſpectio*, בַּקָּשָׁה *petitio*, נֶאָצָה *blaſphematio*, נֶחָמָה *conſolatio*, עַוָּתָה *curuatio*, פָּרָשָׁה *expoſitio*; ex Hiphil, הַכָּרָה *agnitio*, הַשְׁמָעוּת *adnunciatio*; et ex Hithpael, הִשְׁתַּחֲוָיָה *adoratio.* In his enim *Kamets* manet, tum in finali incremento tum in regimine: vt Ezech. XXXIV, 12. כְּבַקָּרַת רֹעֶה עֶדְרוֹ *ſecundum inſpectionem paſtoris* qua inſpicit *gregem ſuum*; Eſth. V, 8. בַּקָּשָׁתִי *petitionem meam*; Ezech. XXXV, 12. נֶאָצוֹתֶיךָ *blaſphemationes tuas*; Iob. VI, 6. נֶחָמָתִי *conſolatio mea*; Thren. III, 59. עַוָּתָתִי *curuationem mei*; Eſth. IV, 7. וְאֵת פָּרָשַׁת הַכֶּסֶף *et expoſitionem argenti*; Eſa. III, 9. הַכָּרַת פְּנֵיהֶם *agnitio facierum illorum*, ſeu quod facies illorum intuentibus agnoſcendum praebent; Ezech. XXIV, 26. לְהַשְׁמָעוּת אָזְנָיִם *ad adnunciationem aurium*; et 2 Reg. V, 18. בְּהִשְׁתַּחֲוָיָתִי *in adoratione* ſeu *incuruatione mea.* Idem apud Syros obtinere, exempla docent, quae Praeſes in Syriaſmo adtulit p. 112. b).

§. XXXV.

Ratione MOTIONIS Nomina quaedam Adiectiua ſeu concretiua in ן֫ vel ן, terminata, feminina ſua formant in ית, pluraliter

raliter יּוֹת, haud aliter acſi terminatio maſculinorum eſſet י: v. g. Thren. IV, 10. רַחֲמָנִיּוֹת *miſericordes* feminae, a Singulari רַחֲמָנִית, et hoc a maſculino Rabbinis, Chaldaeis, Arabibusque vſitato רַחֲמָן; 2 Par. IV, 12. et c. XXVII, 4. בִּירָנִיּוֹת *arces*, a Sing. בִּירָנִית, ex forma maſculina בִּירָן, ad inſtar בִּיתָן, *palatium;* Gen. IX, 23. אֲחֹרַנִּית *poſtica, retro*, ab אַחֲרָן; et Mal. III, 14. קְדֹרַנִּית *atrato* habitu, a קְדֹרָן. Non quidem negamus, ſingularia horum maſculina concipi quoque poſſe רַחֲמָנִי, בִּירָנִי, אֲחֹרַנִּי, קְדֹרַנִּי, cum Iod afformatiuo, ad inſtar קַדְמֹנִי *anterior*, צִפְעֹנִי *baſiliſcus*, רִאשֹׁנִי *primus*, יִדְּעֹנִי *hariolus*, quae Ebraeis coincidunt cum צִפְעוֹן, קַדְמוֹן, רִאשׁוֹן, יִדְּעוֹן: nec tamen abludit, eadem a maſculinis formis רַחֲמָן, בִּירָן, אַחֲרָן, קְדֹרָן, ſine adiecto Iod adformatiuo, deducere; vt Syri a maſculinis ܡܫܡܫܢܐ *miniſter*, ܚܝܠܬܢܐ *validus*, ܬܪܝܢܐ *ſecundus* cet. feminina ܡܫܡܫܢܝܬܐ *miniſtra*, ܚܝܠܬܢܝܬܐ *valida*, ܬܪܝܢܝܬܐ *ſecunda*, haud dubitanter formant. Vide Praeſidis Syriaſmum p. 81. §. VI. Eſt et hoc ſyriſſans quid, cum Ebraei feminina aliquando per א loco ה terminant: vt Ier. L, 11. דָּשָׁא pro דָּשָׁה *triturans*, Num. XI, 20. זָרָא *faſtidium*, Eſa. XIX, 17. חָגָּא *terror*, Pſal. CXXVII, 2. שֵׁנָא *ſomnus*, Thren. III, 12. מַטָּרָא *ſcopus*, Ez. XXVII, 31. קָרְחָא *caluities*, num et Ex. XXVIII, 32. תַּחְרָא *lorica?* certe Syris iſta terminatio femininorum nunquam aliter quam א ſcribitur, ܚܟܡܬܐ *ſapientia*, ܐܪܡܠܬܐ *vidua*, ܙܕܩܬܐ *eleemoſyna*, cet.

§. XXXVI.

NVMERVM Nominum ſi ſpectes, ſunt apud Ebraeos maſculina, quae in Plurali terminantur vt feminina; vt אָב *pater*,

אוֹב

אוֹב *vter*, *python*, אֹרַח *via*, אַרְיֵה *leo*, בּוֹר *fouea*, דּוֹר *generatio*, מַחֲנֶה *caſtra*, מַטֶּה *baculus*, *tribus*, cet. pluraliter אֹבוֹת, אוֹבוֹת, אֳרָחוֹת, אֲרָיוֹת, בּוֹרוֹת, דּוֹרוֹת, מַחֲנוֹת, מַטּוֹת: et vicisſim ſunt feminina, quae in Plurali terminantur vt maſculina, אֵימָה *terror*, דְּבוֹרָה *apis*, זְמוֹרָה *palmes*, יוֹנָה *columba*, מִלָּה *verbum*, סְאָה *ſatum*, פִּשְׁתָּה *linum*, cet. pluraliter אֵימִים, דְּבוֹרִים, זְמוֹרִים, יוֹנִים, מִלִּים, סְאִים, פִּשְׁתִּים; et quae inſuper in Plurali Thau adformatiuum ſeruant, אַלְמְנוּת *viduitas*, דָּת *lex*, זְנוּת et תַּזְנוּת *ſcortatio*, כְּרִיתוּת vel כְּרִיתֻת *repudium*, שְׁבוּת vel שְׁבִית *captiuitas*, pluraliter אַלְמְנוּתִים, דָּתִים, זְנוּתִים, תַּזְנוּתִים, כְּרִיתֻתִים. Id vt ne cui nimis inſolens aut inconueniens eſſe videatur, reputari cupimus, idem et Syris frequentari, vt qui a ſingularibus maſculinis, ܐܣܝܐ *medicus*, ܐܪܝܐ *leo*, ܐܘܪܝܐ *praeſepe*, ܐܬܪܐ *locus*, ܚܘܝܐ *ſerpens*, ܛܪܦܐ *folium*, ܪܥܝܐ *paſtor*, pluraliter ſub feminina terminatione dicunt, ܐܣܘܬܐ, ܐܪܝܘܬܐ, ܐܘܪܝܘܬܐ, ܐܬܪܘܬܐ, ܚܘܘܬܐ, ܛܪܦܘܬܐ, ܪܥܘܬܐ; et contra, a feminis, ܐܡܬܐ *cubitus*, ܕܡܥܬܐ *lacrima*, ܠܒܢܬܐ *later*, ܡܢܬܐ *pilus*, ܫܥܬܐ *hora*, ſub maſculina forma ܐܡܝܢ, ܕܡܥܝܢ; ܠܒܢܝܢ, ܡܢܝܢ, ܫܥܝܢ; et a ܒܥܬܐ *quaeſtio*, ܣܒܣܬܐ *palmes*, ܢܛܦܬܐ *gutta*, ſeruato ſimul ܬ feminino, ܒܥܘܬܐ, ܣܒܣܘܬܐ, ܢܛܦܘܬܐ. Vide Praeſidis Syriaſmum p. 83. 84. Sunt item pluralia maſculina, quae nonnunquam terminantur in ין. pro ים. : vt Prou. XXXI, 3. מְלָכִין pro מְלָכִים *reges*, Ez. XXVI, 18. אִיִּין *inſulae*, Iob. XII, 11. מִלִּין *verba*, c. XXXI, 10. אֲחֵרִין *alii* cet. Id vero Syris regulare eſt, coll. Praeſidis Syriaſmo p. 86. ſqq.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Ad PARTICVLAS, ceu tertiam orationis partem, nunc tranſeuntes, eas apud Ebraeos vel ſeparatas eſſe vel inſeparabiles, et has vel praefixas vel ſuffixas, vt praemoneamus vix opus habemus, cum in vulgus notum ſit. De *ſeparatis* obſeruamus, earum aliquas, et nominatim quae Aduerbia Latinorum notant, eſſe Nomina ſub forma ſtatus conſtructi: vt רַבַּת *multum*, *vehementer*, Pſal. LXV, 10. CXX, 6. CXXIII, 4. CXXIX, 1. 2. מְאַת *centies* Coh. VIII, 12. Syris hoc frequens: vt ܐܚܪܐܝܬ *poſtremo*, ܩܕܡܐܝܬ *primum*, aliaque complura apud Praeſidem in Syriaſmo videnda p. 101. §. II. Quibus addimus ex Pſal. CXXIV, 3. ܚܝܐܝܬ qs. *viuenter*, id eſt, *dum viuimus*. Ex *Suffixis* attendi merentur 1) quae ſunt 2. perſonae feminini generis cum adiecto *Iod*, כִי et יְכִי pro ךְ et יִךְ, vt Pſal. CIII, 3. עֲוֹנֵכִי *culpam tuam*, et תַּחֲלוּאָיְכִי *infirmitates tuas*, v. 4. חַיָּיְכִי *vitam tuam*, et הַמְעַטְּרֵכִי *coronans te*, v. 5. נְעוּרָיְכִי *iuuentus tua*, Pſal. CXVII, 7. לִמְנוּחָיְכִי *ad quietes tuas*, et עָלָיְכִי *ſuper te*; pro עֲוֹנֵךְ, תַּחֲלוּאָיִךְ, חַיָּיִךְ, הַמְעַטְּרֵךְ, נְעוּרָיִךְ, לִמְנוּחָיִךְ, et עָלָיִךְ; quo et *Cthibhan* pertinent, 2 Reg. IV, 3. לָכִי *tibi*, et שְׁכֵנָיְכִי *vicinis tuis*, ibid. v. 7. נִשְׁיֵכִי *debitum tuum*, et בָּנָיְכִי. *et filii tui*, efferenda conuenientibus vocalibus ſignis לָכִי, שְׁכֵנָיְכִי, נִשְׁיֵכִי, בָּנָיְכִי., loco eius quod in lectionum altera *Keri* eſt לָךְ, שְׁכֵנָיִךְ, נִשְׁיֵךְ, וּבָנַיִךְ; qualis horum Suffixorum forma apud Ebraeos quidem rara, apud Syros vero regularis ac ordinaria eſt, v. g. ܝܠܕܬܟܝ *parturiuit te*, ܥܝܪܬܟܝ *excitauit te*, ܐܡܟܝ *mater tua*, ܝܠܕܬܟܝ *genitrix tua*, Cant. VIII, 5. ܐܚܝܬܟܝ *ſaluam fecit te* Matth. IX, 22. ܠܟܝ *tibi*, ܥܡܟܝ *tecum*, Luc. I, 28. ܥܠܝܟܝ *ſuper te*, ܡܢܟܝ *ex te*, v. 35. cet. Sic et pro ſeparato Pronomine 2. perſ. fem. אַתְּ *tu*, Cthib

habet

habet אַתִּי, efferendum אַתְּי Iud. XVII, 2. 1 Reg. XIV, 2. 2 Reg. IV, 15. 23. c. VIII, 1. Ier. IV, 30. Ez. XXXVI, 13. itidem ſub forma ſyriſſante ܐܢܬܝ, quae vbique cum adiecto *Iud* ſcribitur, v. g. Luc. I, 42. 2) Quae ſunt 1. et 2. perſ. poſt Nomina pluralia feminina, eodem modo ſonantia ac poſt ſingularia, nempe ִי pro ַי, et ֵךְ pro ַיִךְ, Pſal. CXXXII, עֵדֹתִי pro עֵדוֹתַי *teſtimonia mea*, Deut. XXVIII, 59. מַכֹּתְךָ pro מַכּוֹתֶיךָ *plagas tuas.* Sic Syris Suffixa pluralia Nominum femininorum cum eorundem ſingularibus coincidunt: vt Rom. I, 9. (10.) ܒܨܠܘܬܝ *in precibus meis*, Ebr. III, 10. ܐܘܪܚܬܝ *vias meas*, Matth. V, 33. ܡܘܡܬܟ *iuramenta tua*, Act. X, 4. ܨܠܘܬܟ ܘܙܕܩܬܟ *preces tuae et eleemoſynae tuae.* 3) 3. perſ. ſing. maſc. וֹהִי pro ָיו, Pſ. CXVI, 12. תַּגְמוּלוֹהִי pro תַּגְמוּלָיו *beneficia eius*, Syr. ܦܘܪܥܢܘܗܝ *retributiones eius*, ſimili ſuffixi Pronominis forma, ad inſtar Chald. Dan. III, 33. אָתוֹהִי *ſigna eius*, et תִּמְהוֹהִי *prodigia eius.* 4) Quae ſunt 2. perſ. ſingular. maſcul. extra pauſam tamen, ָךְ pro ְךָ: vt Ier. XXIII, 37. מֶה עָנָךְ יְהוָה *quid reſpondit tibi Dominus?* pro עָנְךָ ad formam עָשְׂךָ *fecit te* Deut. XXXII, 6. Quomodo et illud Hoſ. IV, 6. וְאֶמְאָסְאָךְ, cum interpoſito א otiante, ceu matre lectionis, indicioque vocalis *Kamets*, ex alia lectione loco praecedentis *Schua* concipiendae, efferendum וְאֶמְאָסָךְ *et nauſeaui te.* Id vero ignorans, minusue reputans, DAV. KIMCHI in *Comm. ad l. c.* ſcribit: כתיב באלף יתירה בין הסמך וכף הנמצא ולא ידענו ענינה למה נכתבה שם *Scribitur in textu cum Aleph pleonaſtico inter Samech et Caph: nec vere ſcimus rationem, cur illic ſcriptum ſit.* Certe Syri non aliter quam ָךְ iſtud Suffixum formant, ܝܕܥܟ *nouit te*, ܝܠܕܬܟ *peperi* vel *peperit te*, ܠܡܩܛܠܟ *interficere te*, ܢܦܪܥܟ *rependet tibi.* Vide Praeſidis Syriaſmum p. 106. ſqq.

FINIS.

3 0112 072644781

PRAESTANTI

HVIVS

DISSERTATIONIS DEFENSORI

PRAESES

S. P. D.

Ab eo tempore, quo Academiam noſtram adiiſti, (factum hoc eſt ante biennium ac ſemeſtre) Nobiliſſime Iuuenis, non illis Te aggregaſti Theologiae cultoribus, qui, quamuis litterarum ſacrarum ſtudioſos ſeſe adpellent, tamen has fere negligunt, rudes linguarum originalium, quibus ſacer codex V. et N. Teſtamenti exaratus eſt, ac deſtituti iis philologiae praeſidiis, quibus, qui mentem Scriptorum diuinorum indagare cupiunt, ſaltem debent, carere nequeunt. Potius praeter partes Theologiae et Philoſophiae, quas ex Summe venerandorum et excellentis doctrinae Collegarum meorum ore conſtans et cupidus auditor hauſiſti, meas quoque acroaſes philologicas, non Graecas ſolum in Noui, Ebraicasque et Chaldaicas in V. Inſtrumenti libros, ſed etiam Syriacas et Arabicas, cum doctrina de accentibus Ebraeorum, ita imbibiſti, vt aliis exemplo, quod imitarentur, eſſe potueris. Quem fructum inde ceperis, ſpero a Te in defendenda hac diſſertatione, quae eruditioni Ebraicae lumina ex Syriaca parat, publice demonſtratum iri. Nec enim dubito, Te in tuenda tractatione hac talem in publica cathedra eſſe futurum, qualem Te in priuato auditorio, vbi Te cum reliquis commilitonibus propoſitis ſubinde quaeſtionibus tentare licuit, reſpondentem expertus ſum. Gratulor ergo mihi, Te domeſticum modeſtum, auditorem ſedulum ac proficere adlaborantem, et, quod reticere non debeo, adiutorem in curanda bibliotheca publica Academiae noſtrae ſtrenuum excitatumque habuiſſe. Quod ſupereſt, Hentſcheli, precor, vt et in poſterum ſtudiis tuis benedicat Deus, Teque vas gratiae ſuae efficiat. Vale. Dabam in Acad. Fridericiana Halenſi d. XIV. Aug. A. CIƆIƆCCLVI.